DE SABBATICORVM ANNORVM PERIODIS CHRONOLOGICA A MVNDI EXORDIO AD *NOSTRA VSQVE SECVLA ET* PORRO DIGESTIO.

Per *Robertum Pontanum*, Caledonium Britannum.

Excusum per GVLIELMVM IONES.
MDCXIX.

LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI IACOBO MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET *HIBERNIÆ REGI*,

humile obſequium.

OECENAS (illuſtriſſime & potentiſſime Princeps) quamvis è Tuſcorum gente eques clariſſimus, & apud *Auguſtum Cæſarem* ob res egregias, cum belli, tum pacis tempore geſtas magno in honore habitus, apud poſteros tamen nunc nullo ferè in honore eſſet, imò memoria ipſius ſepulta lateret, niſi ob egregium erga literatos favorem vſque adeo celebre ſibi nomen comparaſſet, vt ab eo etiam hodie ſtudioſorum patroni, ergaque Muſarum cultores benefici, *Mæcenates* appellentur. Quo elogio nullum celebrius omnium in ore verſatur. Quin & *Auguſtus* ipſe *Cæſar* magnus orbis *Monarcha*, qui, vt de eo canit Poeta,

—— Tot sustinuit & tanta negotia solus,
Res Italas armis defendens, moribus ornans,
Legibus emendans ——

Non parvam sui nominis laudem & gloriam meruit ob insignem benevolentiã quam literatis hominibus exhibebat, prẽcipuè *Virgilio* & *Horatio* poetis, quos non vulgari honore prosecutus est. Cuius rei testis esse potest prẽter alia edictũ illud, quod eleganti carmine edidit de *Æneide Virgilij* non abolenda. Nam & ipse à Musis non erat alienus, & rei etiam poeticę studiosus. Quem verò magno illi *Augusto* orbis Monarchę potius conferam quam te, *Magnifice Princeps*, qui prę omnibus nostrę ętatis Regibus gloria & honore coronatus à Deo opt. maximo es, & ad omnium *Britannicarum* Insularum dominatum ab ipso euectus? Quod nulli vnquam antè contigit: vtque *Augustus* ille *Cæsar* auspicato suo *Romani Imperij* regno pacem toti orbi reddidit: In cuius etiam regno Rex ille pacificus seruator noster, *Iesus Christus* natus est: Ita in M. tuę *Britannico* regno velut renatus te regnante, totum orbem luce Euangelij illustravit, dum tuo exemplo alios Reges ad eam lucem amplectendam excitas, & vt lucifera illa stella Solem, anteis: Vtque *Augustus* ille magnus Musarum studijs imprimis Poetices deditus fuit; Ita tua M. non solum

lum [illegible] nomen adepta est, sed ipse [illegible] & Musarum delitię, es in earum castris ab ineunte ętate enutritus. Sed parum esset in his te *Augusto* conferre, nisi in Christiana religione promovenda Optimi *Imperatoris Romanorum Constantini* etiam ęmulum te pręstitisses: vt enim ille in tua *Britannia*, & ex stirpe *Britannica* natus, etiam in ea Regium Imperatoris diadema adeptus est, & hanc Insulam fęliciter rexit, pacemque Christianorum Ecclesijs per totum orbem reddidit, Celebrique illi *Nicenæ Synodo* ad veram stabiliendā religionem & fidem, non solum interfuit, sed et authoritate verè Christiana præfuit: Ita te *Deus* in hac mundi senecta excitavit, vt sinceræ Religionis instaurator præ omnibus Principibus audias, & habearis, pacemque & vnionem omnibus *Britannicis*, quam latè patent Insulis, non tantum in civili administratione, sed et in Religionis vnione adferas. Quum ergo tantis dotibus et dignitatibus te *Deus*, cœli et terræ Dominus, ornaverit, et adhuc majore te gloria ornaturus sit, absit vt tuis partibus in futurum desis, quin *Augusti Cæsaris* exemplo, literarum et Musarum studiosis amicum & munificum te præbeas, magnique *Constantini Britannici* æmulatione, Christianam ita promoveas religionem, disciplinamq; in omnibus tui regni ditionibus Dei verbo conso-

nam, ut immortale tibi nomen in viuis, & post fata, ita acquiras, vt tuæ M. nihil simile aut secundũ orbis Christianus sentiat & reuereatur, & tandem longè excellentiorem his terrenis immarcessibilẽ gloriæ coronam in cœlo cum Christo adipiscaris, nominisq; tui gloria in terra perpetuò celebretur. Hoc autem M. Tuæ opusculum obsequij mei humillimi erga tuam M. testimonium, hilari (vt soles) fronte accipere non graveris. Nam tuæ veræ Regiæ indolis non sum immemor, vt in minoribus tuoq; nomine indignis σχεδιάσμασι studium meum & conatum tuæ M. obsequendi in meliorem partem sis interpretatus, & uno atque altero munificentiæ testimonio sis prosecutus. Deum autem patrem Domini nostri Iesu Christi ardentissimis votis oro, vt Tuam M. spiritu suo sancto gubernet, successum in omnibus, præcipuè in puræ religionis defensione, largiatur, aduersariorum omnium conatus & molitiones auertat, pacem promoueat, téque tuæ *Britanniæ* diutissimè seruet incolumem.

Tuæ M. obsequio addictissimus

ROBERTVS PONTANVS.

LECTVRIS HOC OPVS.

QVum duæ ſunt præcipuæ Temporum digeſtionis partes, nempe rerum in his geſtarũ narratio, quæ ἱστορικὴ, & annorum in quibus geſta ſunt deductio & ſupputatio, quæ χρονικὴ propriè appellatur; Quumque in hac poſteriore parte præſens noſter incumbat labor: Ne quis in tenui re, & minus neceſſario opere nos occupari contendat, hoc præfandum duximus, vt conſiderent & perpendant lectores, ignorationem temporum erroris eſſe matrem: tempus autem filium, veritatem. Si cui ergo veritatis amor cordi eſt, ad tempora, temporumque viciſſitudines & periodicos progreſſus reſpicere eum neceſſe eſt, ſine quorũ conſideratione præteritas mundi mutationes, & vetuſtatis monimenta cum præſenti rerum ſtatu conferre (quod ad vitam rectè inſtituendam maximè vtile eſt) poſſibile non fuerit. Qua collatione neglecta, in magnis verſari tenebris nos oportet. Ideoque præter diuini verbi lucernam, qua pedes noſtros præcipuè dirigit, præteritorum temporum exempla, ſecunda iam veluti operam nobis ad virtutem amplectendam, errores que hominum & vitia fugienda præſtare poterunt. Vidit id ſapientiſſimè Solomon, quum ad temporum contemplationem nos invitat, docens, ſua cuique rei definita

&

& præfixa esse tempora: ne temerè & inconsideratè in hac breui vita nostra stadio in scalebras & foueas errorum subinde incidamus, vnde non facilè licebit nosmet extricare. Sed dices fortasse, temporum generalis obseruatio vtilis est. Vnicuique enim rei tempus suum proprium accommodum est: Sed quid hoc ad minutas temporum supputationes non tantùm annorum, sed & mensium & dierum, & quandoque fortasse horarum, quæ in Chronologijs vsurpantur? num & horum cognitio adeò vtilis est & necessaria? Respondeo. Quum Chronologiæ præcipua pars sit συγχρονισμὸς, hoc est, historiarum & temporum inter se collatio, nisi exacta & distincta statuantur tempora, tanquam fixa principia ad quæ singula mediis temporibus gesta referantur, magna pars fructus historiarum recitationi detrahitur. Quamvis enim ex solis Sacris literis is fructus cum primis decerpitur, vtilem tamen et iucundam fructuum accumulationem percipiunt ij, qui vtramque historiam Sacram & profanam dextrè inter se conferunt, vt priora sæcula particulariaque sæculorum tempora à posterioribus solerti indagine segregantes, temporum ipsorum rerumque in eis gestarum connexionem et harmoniam deprehendant, & ad suæ ætatis mores et institutam magno suo emolumento applicent, & adaptent: Hinc est quod Græci suas historias χρονικὰς, Latini annales appellant, tanquam vel ipsis nominibus indicarint, sine annorum & temporum distinctione, confusa et mutila esse quæ in illis narrantur omnia, propterea que studiosissime à Mose Hebræorum Historico & legislatore, vel potius à Sp. Sancto per Moysen, obseruata est temporum & annorum consignatio ad ipsius Moysis vltimam vsque ætatem, & deinceps in aliis Sacræ historiæ voluminibus ad Babylonicam vsque captiuitatem. Quibus propè succedit Danielis Heddomadum digestio et series, quæ ad plena reuelationis Christi

ſti tempora nos deducunt. Quæ diligentia à Dei Spiritu non eſſet ita exactè obſeruata, ſi non maxima aliqua vtilitas ex numerorum et temporum, rerum geſtarum obſeruatione, annorumque connexione & continuatione naſceretur. Nam tametſi Deus liberrimè omnia agit, nec vinculis annorum & temporũ includitur, illiſve aſtringitur, quia tamen mundum ipſum in tempore à ſe definito creauit, per temporumque certa curricula et articulos hucuſque continuauit, et ad finem propagaturus & continuaturus eſt, nos (dubio procul) temporum periodos vult animadvertere, vt inde rerum mundanarum et regnorum mutationes euentuſque, atque particularium hominum actiones intelligamus. Quæ omnia ille rerum opifex & moderator limitat & diſpenſat, pœnaſque & præmia ſuo tempore conſtituit, vnde hominum mentes ad Dei ipſius timorem excitentur, adque pietatis exercitia incitentur: vtque in neceſſitatibus, diuinam confidenter & intrepide expectent liberationem, perque vicißitudinum annorum inſum, & quandoquidem inter ſe collationem, dum tempus tempori accommodant, ſimiles pœnas hominum peccatis, aut malorum liberationes pijs euenturas diuinent & præſtolentur. Nemo ergo hoc ſtudium, quod in annorum mundi exacta enumeratione & temporum inter ſe collatione impenditur, inutile aut ſuperfluum eſſe putet, ſi non idem (quod abſurdum & impium eſt) fruſtra Sacrarum literarum ſcriptores horum diſtinctionem & interualla tam diligenter obſeruaſſe contendat. Adhæc quantum efficiat hominum (qui ad hoc nati ſunt vt Deum colant) inſtructioni tempora ab origine mundi ad ſuam ipſorum ætatem lapſa ignorare, nemo mentis ſanæ eſt qui non agnouerit. Nam (vt alia omittam) ex hac temporum, præſertim antiquorum ignoratione natum eſt, vt Ariſtoteles, ſummus alioqui Philoſophus,

mundum absque temporis initio extitisse putauerit; Et Epicurei (brutum hominum genus) omnia ex nescio quibus atomis seu indiuisilibus corpusculis temerè nata crediderunt, Deumque res in terra gestas non curare, nec mundi tempora gubernare. Nec mirum est in illa eos versatos fuisse insciti a, quum si ad prisca secula nos conferamus, nullibi aliàs quàm ex nostris sacræ Scripturæ annalibus, qui illis hominibus erant ignoti, annorum mundi haberi posset certitudo. Nam si Græcorum aut aliarum nationum historias euoluamus, constat illos vltra suas Olympiades, alioſque ad summum vltra mille annos Christi natalem præcedentes, certam temporum non inchoare dinumerationem. Quæcunque enim hunc annorum calculum antecedunt apud illos, fabulosa & incomperta reperiemus, prater quædam Berosi Chaldæi & Megasthenis Persæ quæ hodie extant fragmenta; Quæ a multis suspectæ fidei habentur. Sacrarum porrò Scripturarum inæstimabilem esse thesaurum vel ex eo liquet, quòd ab his solis omnium temporum à prima mundi origine vetustas, initium, series, progressus, & continuatio depromatur & patefiat, atque etiam finis certis indicijs appropinquare intelligatur. Quantoperè autem referat ista scire, præterquam quòd non mediocrè adferat delectationem, indubitatam omnium temporum à mundi exordio cognitionem quasi vno obtutu ob oculos positam habere, maximum etiam Dei beneficium est, mundi ab ipso conditi opificium, ab vltima ætatum antiquitate cum rerum progressibus & interuallis exactè dinumerare. Vnde omnia accidentia & rerum dependent mutationes & exempla, vt inter virtutes & vitia facto discrimine, hæc quidem vitemus & fugiamus, illas verò amplectamur & imitemur. Ad hæc (quod summum est) temporum obseruatio, & ad eorum originem

originem per iuſtas annorum numerationes deductio, quam per ſolam S. Scripturarum authoritatem infallibilem cognitam habemus, omnium præcipuè nobis prodeſt, vt inde fiduciam noſtram in Dei veritate ſtabiliamus, conſtantiáque illius promiſſa per temporum viciſſitudines à primo homine ad ſecundum Ieſum Chriſtum facta, & deinceps ad noſtram vſque ætatem continuata; gratis animis reuereamur & acceptemus. Nam ex inexhauſto veritatis fonte non ſolùm omnia ad ſalutem hominum neceſſaria, & qua nos reddunt perfectos & abſolutos in Chriſto, licet deprimere, ſed & Eccleſiæ Dei ſtatum intueri, qua contra multiplices Satanæ inſidias perſiſtente, regnorum interea huius mundi & magnorum imperiorum maximæ inciderunt mutationes: vtque cæli Dominus, non ſolum inter exteros, ſed & in ſuo populo regna transferat, & (*vt apud* Danielem *habetur*) *cui voluerit det illa, &* Hæſiodus. *vt poeta canit:*

Ρεῖα μὲν βριάει, ῥεῖα δὲ βριαόντα χαλίεπτει,
Ρεῖα δ' ἀείζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ρεῖα δὲ ἰθύνει σκολιὴν ἀγόρευε κέλευθον,
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα πάντα νοήσει.

Verùm vt pulcherrima et vtiliſſima quaque ſua habent annexa incõmoda, ita humani generis hoſtis omnibus ætatibus hanc temporã diſcernendi lucem turbare & obſcurare conatus eſt, vt per varias & contrarias hominũ opiniones annorum mundi numerus in obſcuro lateret, aliquibus recto calculo plures, aliquibus pauciores ponentibus annos. Adauxit hunc errorem quorundam non malorum virorum præpoſtera diligentia, qui ex gentiũ hiſtoriographis non ſatis accuratè examinatis, ea quæ in diuinis literis, vel

obscura, vel omissa visa sunt, supplere & sarcire meliebantur. Quum nulla ex talibus scriptoribus solida colligi possit temporum certitudo. Nam non solum inconstantes, & multoties inter se contrarij reperiuntur, sed ex poetarum fabulis, vel ex aliorum non satis fide dignorum relatione, ea acceperunt, quæ cum authenticis S. literis non bene conueniunt. Nos autem conuenit ad illarum infallibilem semper recurrere authoritatem, non negligentes interea eos scriptores qui ad sacram Bibliorum fidem proximè accedunt; præsertim à Babylonicæ deportationis tempore & Cyri Monarchia; præcipuèque in annorum & Regum illius Monarchiæ numero & nominibus. Cæterum quum multæ sint annos & tempora dinumerandi rationes, tres tamen principales hæ sunt, per annales, per hominum ætates, & per certos cyclos & temporum periodos: Inter eos certissimus is modus est qui per digestionem annorum in suas recurrentes sit periodos. Nam quod ad annales attinet, quibus rerum gestarum narratio inest, quamvis is annos connumerandi modus usitatissimus sit, plerumque tamen dubios & perplexos relinquit lectores, quum alij aliter tempora supputent: & historici non raro inter se dissideant. Annorum autem collectio per hominum ætates, ea quidem est, per quam Sacra scriptura, præsertim veteris testamenti, potissimùm annos numerat: ex Moyseos enim scriptis per patrum ætates colliguntur anni à mundi primordio ad exitus Israelitarum ab Aegypto tempus, & porrò ad ipsius mortem: & posteà per Iudices, & Reges de tribu Iuda ad Babylonicam vsque captiuitatem. Post reditum verò Iudæorum è Babylone tempora non adeò comperta sunt, præsertim per hominum ætates, quum ad ea putanda authenticæ desint scripturæ præter quædam indicia ex Danielis, Esræ, & Nehemiæ libris; propterea quum

quum ea per hominum ætates ſupputatio à captiuitate ad Chriſti in carnem aduentum dubia ſit & incerta, is etiam modus pro certo annorum calculo clarus & continuus non eſt, Sed à Cyri ſaltem initio interrumpitur. Sunt & in illis, quæ Cyri Monarchiam præcedunt, incidentes non rarò de hominum ætatibus & annorum συγχρονισμῶν quæſtiones, quæ ſuis locis veniunt diluendæ. Vt ergo ad periodicam annorum digeſtionem reuertar (quem dixi certiſſimum eſſe calculi annorum modum) ſunt ex illis multæ ſpecies ſecundum diuerſarum gentium conſuetudines, & ſtatas à celebri aliquo ritu ductas ſolennitates. Nam habent Graci ſuas Olimpiades, *quibus per trita quadriennia tempora computant, à celebribus illis* Ludis Olympicis *ducto nomine. Sic Romanis ſua erant quinquennalia luſtra, à ſolenni ſacrificio, vel à cenſu populi dicta, & ex his compoſita ſæcula: ſunt etiam indictiones de quarum calculo nunc aliquid dicere non eſt neceſſe. Sunt & aliis nationibus ſui periodici κανόνες, partim Aſtronomici, partim à rebus ciuilibus ducti. Sed nulla inter omnes eſt, vel antiquitatis memoria celebrior, vel religione auguſtior, quàm ille Hebræorum populi ab ipſo opt. maximo Deo inſtitutus annorũ catalogus per numerum ſeptenarium, vel eo nomine ſacrum, quòd eo die Creator ab opere creationis requieuerit, quem propterea Sabbaticum Cyclum vel periodum appellamus. Ipſe enim Omnipotens in ſua lege ſanciuit, vt recurrente in orbem quoliet ſeptennio, terra ipſa, quam Iſraelis poſteritati conceſſit, requiem ageret in memoriam requietis illius quam ipſe peregiſſe dicitur in illa ab opere creationis ceſſatione. Et eadem ratione poſt completum ſeptenarium hebdomadum vel Sabbaticorum annorum numerum Iubilæa celebranda inſtituit, quæ finitis quibuſque 49. annis, & inchoante quinquageſimo, terminarentur, cùm*

alias ob causas, tum vt populus ille de memoria beneficiorum Dei, et redemptionis à tyranni de inimicorum, hac recurrente annorum periodo commoneretur. Quum ergo præ cæteris numerandi modis, is per annorum periodos facilior sit, et vel solus ab vltima antiquitate, mundique primordio perpetua serie propagetur, nullam commodiorem methodum reperiri posse existimo, qua mundi ipsius inchoationis, continuationis, et durationis tempora exactè certissimèque liceat dinumerare. Eorumque (Sabbaticorum, inquam, annorum) subducto calculo facilius decidi posse omnes eas quæstiones, quæ de patrum ætatibus, annorum mundi numeris, et synchronismo annaliū orta sunt vel possunt oriri et moueri. Hoc itaque nostrum est institutū, Sabbataria ista supputatione, quam à mundi ipsius conditu deducimus, tot de annis mundi hactenus à scriptoribus motas cōtroversias et agitatas quæstiones sopire, et perspicuè pro virili dirimere, veritatemque tam diu latentem in lucem producere: faxit Deus vt finis intentioni respondeat. De modo autem procedendi, et per quam periodum annorum noster procedet calculus, in sequentibus fusè tractabitur. Sed dicent forsan scioli et nasuti homines, temerarium hunc meum viaeri conatum, vt post tot tantosque viros, et præcipuè Iosephum Scaligerum, *qui nostra hac ætate de temporibus eorumque emendatione solertissimè et doctissimè scripsit, ego postremus sub rigido ferè boreæ axe natus, huic tam laboriosæ provinciæ, quæ tam multorum torsit exercuitque ingenia, manus ausus sim admouere. Sed vt paucis illis respondeam, & si modestè mecum agant, satisfaciam: fateor equidem ingenuè me in hoc opere expoliendo & perficiendo aliorum ope & auxilio, qui me præcesserunt, esse vsum, & præcipuè doctissimi antiquitatum & monumentorum diuersarum nationum indagatoris* Iosephi Scali-

Scaligeri, *quem ego honoris cauſa ſæpè nomino, à quo non niſi invitus veritatis vi coactus aliquando diſcedo: nec hoc vitio mihi vertendum iure dixerit aliquis, quum ipſe* Scaliger *omnium qui ante eum de temporibus ſcripſerunt errores emendare ſe profiteatur; ſi ego, vel alius eo poſterior, quædam in eo vel in alijs* [illegible] *non prius animadverſa deprehendimus & emendare conemur. Nam ego Scripturis tantùm à Dei Spiritu dictatis, cum* D. Auguſtino, *hanc prærogatiuam debeo, vt nihil in illis erroneum eſſe firmiter credam: aliorum autem ſcripta ita legam, vt eos homines fuiſſe meminerim, & cum* Pſalmographo *dicam* כל האדם כזב *Si cui hæc non ſatisfecerint, ſuo fruatur ſenſu: Liuidulos enim nihil moror, & eorum cenſuram floccifacio — rumpantur vt ilia Codro.*

Omnis homo mendax.

CHRO-

CHRONOLOGIA
DE
SABBATARIORVM
ANNORVM PERIODIS.

CAPVT I.

De Annis, Menſibus, & Diebus in genere: Deq; temporum Annalibus, Chronicis, & Chronologiis.

ANTEQVAM ad Annorum Sabbaticorum & Iubilæorum particularem ſupputationem deueniamus, quædam in genere præmittenda ſunt de annis ipſis, deque menſibus & diebus ex quibus anni componuntur. Eſt autem annus propriè ſpatium quo Sol curſum ſuum perficit: quamuis ſuit & anni lunares. Vterque autem tam ſolaris quàm lunaris annus conſtat periodis; quum poſt abſoluta certorum menſium ſpatia in ſe reuertitur. Vnde etiam Græcis ἐνιαυτὸς, dicitur quaſi ἐν ἑαυτῷ περιόμενος: & ἐνιαυτῶν meminit *Ciceroni* annorum conuerſiones ſunt. Sed quia non eadem quantitate vel menſura apud omnes gentes anni terminantur,

nantur, nec eadem habuerunt, ſed longè diuerſa principia; Ideò in annorum ipſorum ſupputationibus Chronologicis multa ſæpè oritur confuſio, niſi ad certam quantitatis metam, certumque initium, vnumque annorum genus omnia referantur. Itaque omiſſa curioſa de annis ſolaribus & lunaribus inquiſitione, deque annorum ſolarium differentiis: quorum alii appellantur ἀστρονικοὶ, hoc eſt, Syderii, alii τροπικοὶ ſeu vertentes, alii denique πολιτικοὶ, ſeu ciuiles, quod in hiſtoricis temporum numerationibus maximè ſequimur. Nos ciuilem annum in ſabbaticorum annorum calculo tanquam vſitatiorem, & tanquam ἐν πλάτει (vt aiunt) commodiorem ſequimur. Nam quod ad annos ſydereos, & vertentes attinet, illorum propria cognitio ad Aſtronomos & Mathematicos pertinet. Hunc autem annum quem politicum dicimus, non opus eſt ad Mathematicorum exactiores examinare calculos. Is autem variæ apud varias gentes quantitatis eſt. Nam alii, vt Ægyptii, annum ſolarem numero 365. dierum præciſo definiuerunt. Quo vſus eſt *Ptolomeus* (vtpote *Alexandrinus*) ob numerandi commoditatem in ſuis Aſtronomicis operibus. Conſtatque hic annus duodecim menſibus, vnoquoque eorum triginta dierum. Poſt quos finitos adduntur quinque ſuperantes dies. Sed ad iuſtam anni tropici menſuram non accedunt. Nam ferè quarta vnius diei parte deficiunt. Quem defectum per annos, aut dies, vel menſes, ἐμβολιμαίους diuerſarum nationum alii aliter ſupplere nitebantur. Verùm poſt multas à variis vſurpatas interea lationes, *Iulius Cæſar*, vir magnanimus & πολυίστωρ, ope *Soſigenis* Mathematici, annum quem *Julianum* vocamus, inſtituit. Qui & nunc in magna orbis parte in vſu eſt. Quo, 365. diebus (quibus conſtat annus

nus Aegyptius) quolibet quarto anno vertente diem vnum intercalarem ex quatuor quadrantibus collectum adiecit. Eumque certis de cauſis à Romanorum ſuperſtitione profectis menſi Februario inſerendum cenſuit, 24. illius die, qui pro ſexto Calendas Martii computatur. Vnde & annus ille intercalaris biſſextilis appellatur, quia ſextum Calendarum Martii bis numeramus. Si ergo commodiſſimum ſupputandi in hiſtoriis & Chronologiis annorum numerum ſequi volumus, ad hunc annum *Iulianum* omnes aliarum nationum & calculatorum anni referendi ſunt. Vt & omnes noſtri temporis eruditi hiſtorici illos vſurpant, parum ſolliciti de lunaribus, aut aliis aliarum gentium annis. Nam quod ad lunarem annum attinet, qui ex diebus 354. & horis ferè nouem conficitur, conſtat eum à ſolari anno deficere diebus propè vndecim. Hos dies ἐπαγομένας Græci vocant, quaſi dicamus additicios, quia ad æquandum periodicum ſolis curſum cum lunari addi ſolent: vt ſic annus mixtus ex vtriuſque luminaris motu conſtituatur. Quæ anni forma antiquiſſima eſt. Ex diluuii enim conſtat hiſtoria, æquè feſtorum dierum apud Hebræos obſeruatione, annis lunaribus ſolares ita fuiſſe admixtos, vt ex vtriſque compoſitus per quandam tunc vſitatam intercalationem horum ſuperabundantium vndecim dierum annus coæquaretur. Quod per menſes in illa ætate obſeruatos patere poteſt: qui per numeros & non per propria nomina (quæ tunc nulla fuerunt) recenſentur. Nam ex libro Geneſeos colligitur *Noam* per integrum annum in Arca habitaſſe, & vltra per decem dies, nimirum, vltra lunarem annum; qui tamen vnum ſolarem annum ſolùm complebant. Idem probari poteſt per obſeruatas quotannis apud Iudæos ſolaris anni qua-

drantes, quas illi תקופות *Tekuphas* vocant. Quas nos quatuor anni tempora vulgò vocamus, quæ ex duobus æquinoctiis & totidem constant Solstitiis. Per has enim illi totum annum in quatuor partes diuidunt: vnicuique parti dies 91. & horas circiter septem cum semisse attribuentes, per quas introitus Solis in quatuor Cardinalia puncta, nempe, Arietis, Cancri, Libræ, & Capricorni designantur, quæ Ver, Aestatem, Autumnum, & Hyemem constituunt. Primam enim Tekupham illi in mense Nisan (nostro ferè Martio respondente) constituunt. In quo scilicet mense Nisan 15. die Pascha celebratur: vbi necesse erat lunarem annum cum solari congruere. Nam nouilunium ipsius mensis Nisan per intercalationis opem (quum opus esset) inuentum illud erat, quod æquinoctio proximum fuit. Eademque obseruabatur ratio in aliis præcipuis Iudęorum festis. Alię etiam nationes variis intercalandi modis post certa annorum spatia lunares annos solaribus cõęquabant. Et diuersa apud diuersos erant anni initia: quæ res magnam varietatem & nonnullam confusionem in chronographico annorum calculo gignere solebat, dum alii ab vno, alii ab altero anni initio ipsos annos dinumerarent. Quæ confusio vt tollatur res aliquanto altiore eget indagine. Et vt de Hebręis primò dicamus, constat apud eos duplex fuisse annorum principium. Id enim ex mandato diuino (Exodi 12.) institutum fuit, vt à tempore exitus Israelitarum ab Aegypto, mensis Abib (aliter Nisan dictus) principium mensium, primusque esset in mensibus anni. Ex quo colligunt *Iosephus* & alii, antiqui anni apud Hebræos initium non in Nisan, sed in Autumnum, mense Tisri (qui Septembri ferè congruit) incidisse, in vernum autem tempus ob memoriam celebris

celebris illius liberationis ex Aegypto fuisse translatum. Non tamen ita vt prorsus in omni negotio anni principium à verno tempore inchoaretur. Nam respectum annorum Sabbaticorum & Iubilæorum, terræ laboris intermissionis, similiumque ciuilium negotiorum mansit consuetum antiquitus anni principium in septimo mense, vt ex Exodi cap. 34. vers. 22. Leuit. 25. & aliis Legis Mosaicæ locis colligimus: In rebus autem sacris, vtpote ad festorum rationem pertinentibus & diuinum cultum, à mense primo Nisan sumendum fuit exordium. Mansit etiam ea consuetudo, annum à verno tempore inchoandi, non tantùm in populo Iudaico, sed etiam in aliis gentibus, vt veteribus Romanis, qui *Romuli* ætate annum à Martio inchoabant: cuius ritus vestigia adhuc in quorundam Iulianorum mensium nominibus (nempe Septembri, Octobri, Nouembri & Decembri) remanent. Ab Astronomis etiam hoc anni initium obseruatum est, tanquam eorum arti conuenientissimum. *Iulio* autem *Cæsari* qui Romanum reformauit annum visum est illum à Calendis Ianuarii inchoare, propè ipsum brumale solstitium non contemnendis ad hoc moto rationibus. Nam anno ante Christi natiuitatem 45. quo hoc opus aggressus est, nouilunium in primum Ianuarii diem incidebat, ita vt hoc saltem anno motus Solis & Lunæ rationes conuenirent. Eadem etiam causa fuisse dicitur quod annus iste Iulianus non à brumæ seu solstitii die, sed octauo postea die, Sole octauam Capricorni partem peragrante, inchoaretur. Sunt etiam aliæ causæ ab aliis adductæ, in quibus nunc non opus est insistere. Et multis etiam ante Christum annis à *Numa Pompilio* in Ianuario factum est anni initium: naturalemque habet rationem, quod tum Sol peracto per signife-

rum curriculo rurſus ab Auſtro ad Septentrionem conſcendere incipiat. Illud ſanè certum eſt inter omnes annorum formas Iulianum iſtum, quo vtimur, longè faciliorem & commodiorem fore varias ob cauſas: facilius enim quolibet quadriennio exacto, intercalatur vnus dies, atque etiam vulgò innoteſcit, quàm ſi ſubtilioribus & diuerſis intercalandi rationibus difficilis ſuppediteretur rudioribus ſupputandi materia. Ad hæc annus iſte, æquinoctia & Solſtitia perpetuò ſuis ſedibus quam proximè poteſt affixa retinet. Quamuis enim poſt longum annorum curriculum aliqua oriatur varietas, ea tamen adeò exigua eſt vt in Chronologicis ſupputationibus, quæ rarò ad menſes & dies exiguntur, vix ſit perceptibilis. Nec mihi placet Liliana illa à *Gregorio* Romano Pontifice inſtituta reformatio Iuliani Calendarii. Nam ea multis nominibus improbanda eſt, tanquam longè diſtans à perfectę reformationis forma. Nam ſi reformatio eiuſmodi inſtituenda eſſet (quod num conueniat dubia multa moueri poſſunt) ab eiuſdem Calendarii reſtitutione in eum omninò ſtatum quo fuit ipſius *Iulii Cæſaris* prima editione inchoanda erat. Quod facilius fieri potuit, & minore incommodo per dierum intercalarium ad certum tempus omiſsionem. Qua de re in tractatum noſtro de anno Iubilæo ante aliquot annos edito plura diximus. Sentiuntque hodie Mercatores & alii quibus λογιστικὴ curæ eſt, quam perturbationem hęc noua Calendarii forma eorum rationibus ingerat. Iam (vt ad inſtitutum reuertamur) quod ad alias ſolarium annorum formas attinet, non ita expedita temporum per eas fit ſupputatio. Inter quas præcipua eſt veteris anni Aegyptii forma, de qua nonnihil ante tetigimus. Nam ea cum careat intercalandi conſuetudine

tudine, annum adeo reddit inſtabilem, vt quadriennali quolibet ſpatio neceſſe foret æquinoctiorum & ſolſtitiorum articulos in diem ſequentem promoneri. Atque ita 1460. annorum Iulianorum periodo omnes totius anni dies peruagari. Sic vt tot anni Iuliani 1461 Aegyptios annos conſtituant : eamque annorum periodum magnum annum κυνικὸν, i. canicularem Aegyptii appellabant, ab exortu caniculæ ducto nomine. Nam cum canicula cum Sole die primo menſis Thoth (qui erat primus eorum menſis) oriebatur. Qui tamen Aegyptiorum annus ad Iulianum facilè reduci poteſt, additis quibuſque quatuor annis vno die. Nam ad rectam annorum ſupputationem á *Ptolomæo* & Chaldæorum Chronographis vſurpatorum id ſcire quandoque perutile eſt. Annis ſolaribus etiam vſi ſunt Babylonii & Perſæ, imo (vt doctiſſimus *Ioſephus Scaliger* meminit) antiquiſſima fuit apud omnes ferè gentes huius anni ratio, aut ſaltem opinio, quod ſcilicet is 365. diebus cum quadrante conſtaret. Sed eo ante *Iulium Cæſarem* rectè vti neſciebant. Quamuis *Calippus*, *Hipparchus*, *Ptolomæus*, aliique Mathematici peritiores rectam anni ſolaris menſuram ſatis nouerant. Sed nunc exactiores eorum ſupputationes, nos ad Aſtronomos remittimus. De lunaribus etiam annis ſupra quantum noſtro inſtituto ſufficiat, attigimus. Et nulla ferè natio eſt, quę non eos ad Solis curriculum coæquandos aliquo modo cenſuerit. Vtque de Græcorum annis exemplum ſumamus : quos illi ab ἑκατομβαιῶνος menſe ordiebantur (qui noſtro ferè Iunio reſpondet) eoque nouilunio quod proximè præceſſit, vel ſecutum eſt æſtiuum ſolſtitium : conſtat eos annos magna ex parte lunares fuiſſe. Sed cum à ſolaribus deficerent, ad eos coæquandos variis vſi

ſunt

sunt intercalandi rationibus, sed perplexis, nec omnibus ætatibus eisdem. Et (vt à multis creditur) hoc fine institutum fuit olympicum certamen, vt hoc celeberrimo quouis quadriennio recurrente spectaculo, diei vnius intercalaris eodem anno fieret insertio, qui ex quadrantibus residuorum annorum consurgebat. Mensem vero intercalarem, qui dies ferè vndecim supplet, quibus lunaris à solari annus deficit, alias secundo, alias tertio anno (vt Hebræis mos est) adiiciebant. Vt ea ratione mensis ἐμπεμβόλιμον ad solstitii æstiui tempus perpetuo proximè congrueret. Si ergo Græcorum anni, qui per Olympiades supputantur, ad Romanos Iulii annos reducendi sunt, eorum principia per dimidiam anni partem distare compertum est. Quod in annorum recto ἀπλογισμῷ obseruare Chronographis non negligendum est. Vt & aliarum gentium varia annorum initia semper cum Iuliano (quo nos vtimur) anno conferenda sunt. Nam per hos Iulianos annos, vtpote nunc receptissimos, nos omnium temporum calculum colligimus & examinamus. Omnium enim aliorum annos ad Iulianos per Solis & Lunæ motuum ἀποκατάστασιν posse reduci mediocriter doctis compertum satis est. Atque hæc de annorum varietate, diuersis inchoationibus, & ad Iulianos reductione πανμιᾶς (quod ad nostrum institutum pertinet) dixisse sufficiat. Nunc supereſt vt de annorum progressum, & ad longa tempora extensione, & continuatione, vnde consurgit multorum supputatio annorum ad rerum gestarum cognitionem pertinentium, & temporum inter se connexionem, nonnulla subdamus. Sciendum itaque est res quæ per annos digeruntur Annales propriè vocari. Nam Annales nihil aliud sunt, quàm historica conscriptio rerum gestarum, quę de anno in

annum

annum continuo progreſſu incidunt, Græcis ἐνιαυσιοι dicti. Hiſtoria autem ab his differt, quod res geſtas narret, quæ ab ętatis noſtrę memoria remotæ ſunt. Adhæc annales res ſingulis annis geſtas breuiter notare ſolent, hiſtorię verò non ſolum res geſtas longo ordine explicant, ſed & cirnumſtantias addunt, de conſiliis quibus geſtę ſunt, conciones commemorant, acies inſtruunt, & ſitus locorum deſcribunt. Chronica autem ad vtraque tam annales, quàm hiſtorias, extendi poſſunt: nam per ea temporum memoria conſeruatur, quibus res geſtæ ſeruato temporũ ordine digerũtur. Vnde qui ea ſcribunt Chronici & *Chronographoi* dicuntur. Chronologi verò à recentioribus appellantur, qui temporum digeſtionem & connexionem deſcribunt, & in ordinem redigunt, abſque rerum geſtarum circumſtantiis, ad hoc prȩcipuè intenti, ne quid in annorum progreſſu, & inter ſe continuatione imperfectum relinquatur: ſed tempora temporibus exactè cohæreant, poſterioraque priora recto ordine ſequantur. Vnde & Chronologia eiuſmodi temporum digeſtio eſt, quæ annos mundi in ordinem redigit, & perfecto calculo á principio ad finem deducit: quale noſtrum hoc opus dici poterit. Et cuius generis multa à variis ſcribuntur. De annorum autem periodis ſequenti capite agetur. Sunt etiam annales annalium, hoc eſt, annorum ætates & ſæcula, per quæ totius mundi durationis tempus docti diuidunt. Nam & mundus ipſe ſuam quandam habet ætatem, quæ generaliter ſumpta totum durationis illius ſpatium à principio ad finem complectitur: vt ætas hominis, totale vitæ illius tempus denotat, quæ hominum ętatis ſpatia variè à diuerſis aſſignantur: inter quæ nullum commodius eſt, quàm id, quod per numerum centum annorum homi-

num ætates vel generationes ſupputat. Vtpote ſacris literis magis conſonum. Nam in Geneſi probè apparet hominum ætatem ſic accipi, quum Deus oraculo *Abrahamo* patefecit poſteros illius peregrinos futuros in aliena terra per 400. annos, poſtea illud explanans de quatuor ętatibus vel generationibus intelligit. Quin & illud 100. annorum ſpatium communi loquendi modo ſęculum appellatur. Sunt alii qui vniuerſam mundi ętatem vel durationem in tres diſtribuunt partes vel particulares ętates, vnicuique duo annorum millia aſſignando. Quod à vulgata illa per pleroſque citata opinione naſcitur, quę ex dictis domus *Eliæ* adducitur, (non illius magni Prophetæ *Eliæ*, ſed cuiuſdam è Iudęorum Rabbinis) mundum ſcilicet ſex annorum millibus ſtaturum, & poſtea collapſurum. Quorum annorum duo millia ante legem ſcriptam (quod mane vel Patriarcharum tempus appellant) duo ſub lege millenaria, & duo millia ſub Chriſto enumerant. Quæ duo poſtrema millia abbreuianda fore propter electos & multiplicia mundi peccata. Sunt inter pios & eruditos non pauci qui hanc probant opinionem, hoc nimirum ſuppoſito, quod vti mundus cum rebus omnibus in eo comprehenſis ſex dierum ſpatio creatus erat, ita ſex annorum millibus ſit continuaturus. Diem ſcilicet pro anno accipientes iuxta illud *Petri, Vnum hoc ne vos lateat* (inquit) *dilecti, vnum diem apud Dominum perinde eſſe ac mille annos, & annos mille vt diem vnum.* Interque alios D. *Auguſtinus* non abſimili ratione totam mundi durationem in ſex diuidit ętates. Sed iſta, quia ad noſtrum inſtitutum non multum pertinent, miſſa facimus. Quia verò in ſequentibus annorum periodis multa incident, quæ in annorum enumeratione eorumque initiis, & diſtributione

Gen. 15.

2. Pet. 3.

butione difficultatem gignere poſſunt: ideo hic quaſdam generales trademus regulas, etiam ab aliis memoratas pro expeditiore annorum chronologica ſupputatione. Prima harum regularum *Syntheſis* dicitur, quæ & ſecunda Chronologiæ pars ab aliis appellatur. Quæ compoſitionem temporis cum tempore comprehendit, inde *Syncroeſmos* dicta. Cuius quatuor ſunt modi: Primus per duplicationem, qua Scriptura vtitur, quum temporis peracti extremum cum initio ſequentis commiſcetur, vt in ſupputatione & collatione annorum Regum Iuda & Iſrael frequenter accidit. Secundus modus, rotundatio temporis dici poteſt, quo in temporis numeratione aliquid additur aut detrahitur: de quo *Auguſtinus* quæſt. 4. 47. in Exod. loquitur: Solet Scriptura tempora ita nuncupare, vt quod de ſumma perfectionis numeri excreſcit, aut infra eſt non computetur. Vt exemplum dat, *Numer.* 14. *verſ.* 34. Feretis pœnam iniquitatum veſtrarum 40. annos, quum à ſecundo poſt exitum ab Ægypto tot anni non numerarentur. Tertius modus eſt, tempus in ſupputationibus aliquando pro currente, & non completo tempore ſumi. Quartus eſt, initium temporis in computationibus aliquando incluſiuè (vt loquuntur) aliquando excluſiuè ſumi: & alia regula, quum pars temporis pro toto accipitur, vt cùm dicitur, Chriſtum fuiſſe in ſepulchro tribus diebus. Quibus addo tertiam regulam in his chronologicis ſupputationibus valde cognitum neceſſariam: quum vnius hominis ætati, vel annis regni à Chronographis aliquando plures, quandoque pauciores attribuuntur anni, propter quoſdam menſes deficientes vel ſuperabundantes, vt *Alexander* ille Magnus, ab aliis ſex, ab aliis autem ſeptem in Monarchia dicitur regnaſſe annis.

Addo & his quartam regulam in Sabbaticorum annorum computo obſeruandam, & in diuerſorum lectione logiſtarum, dum alii à menſe ſeptimo (vt Hebræi) annorum in ſupputando ſumunt initium, alii à Ianuario, ſecundum noſtram anni Iuliani rationem. Quam rationem ego in hoc opere ſecutus ſum, propterea quod maior pars Sabbatici anni à Ianuario procurrat.

CAP. II.

De Numeri Septenarii perfectione: Deq; Septenariorum annorum Periodis.

IN principio, quum Deus Opt. Maximus, ſex dierum ſpatio, cælum & terram, omnemque eorum ornatum creaſſet, ſeptimo die (diuina teſtante Scriptura) ab omni opere, quod fecerat, requieuit. Proptereaque benedixit diei ſeptimo, illumque ſanctum eſſe voluit. Illud etiam in Exodo, mandato Legis quarto reperitur, vbi perpetua ſeptimę diei obſeruatio præcipitur. *Memento* (inquit) *vt diem Sabbati ſanctifices*: & ratio ſubditur, *Quia quum ſex dierum ſpatio perfeciſſet* IOVA *cælum, & terram, mare, & quicquid in iis eſt, die ſeptimo requieuit, beneque ominatus eſt diei Sabbati, eumq; ſanctum eſſe ſtatuit.* Et quia ſeptenarius numerus hac ipſa ratione ſacer erat, & omni temporum diſtributioni aptiſſimus, in lege etiam diuina ſtatutum fuit, vt in Dei populo quiſque ſeptimus annus ſacer haberetur: *In quo terra à labore requieſceret, vt in illo nulla*

Leuit. 25.

eſſet

esset segetum satio, nec uvarum vindemia : vt seruis daretur libertas, vtq; annus requietis Domino vocaretur. Non absimili etiam de causa statutum fuit, vt populus ille Israeliticus, *Septem Sabbata annorum sibi cenuumeraret, vtpote 49. annorum complectentia periodum. Incunte deinde quinquagesimo anno, vt mensis septimi die decimo (quo die festum incidit reconciliationis) tuba personaret, libertatem omnibus terræ illorum habitatoribus, proclamando, ita vt vnicuiq; ad propriam redire liceret possessionem*, vt latiùs ex *Mosis* contextu in Lege sancitum esse reperitur. Et quamuis eadem in Lege caueatur annos Sabbaticos & Iubilæos tum demum ab illo populo fuisse obseruandos, quum ingressuri essent terram illam quam Dominus Deus illis daturus erat (quia ante illud tempus commodè ab ipsis obseruari non poterant) ratio tamen huius sacratæ obseruationis per septenarios procedens, numeros in lege Naturę suum habet fundamentum : imo ipsius Dei, qui omnes leges anteceſſit exemplum. Vnde probè colligere licet, hanc temporum per Sabbata supputandi rationem ad mundi ipsius originem, suum habere respectum : & continua serie ab ipso primo Sabbato inchoandam : vt quemadmodum die septimo Deus ipse ab opere creationis requieuit, sic isti requietis anni (nempe Sabbatici & Iubilæi) ab illo procederent principio. Certumque est *Moysen* ipsum qui sacram annorum mundi conscripsit historiam, ab ipsius exordio ad suam vsque ætatem horum Sabbatariorum annorum exactam satis nouisse supputationem. Atque etiam prophetico (quo præditus erat) spiritu, quo tempore populus pacificam terræ possessionem obtenturus erat, non ignorauit. Ideoque probè eos commonere poterat, quo tempore inciperent suos Sabbaticos & Iubilæos dinu-

merare annos. In cuius rei probationem iusto subducto calculo reperiemus, sextum administrationis *Iosuæ* annum, in quo post bella peracta pacifica terræ ipsius promissæ possessione demum gauisi sunt: terraque ipsa illis diuisa est, Sabbaticum fuisse: atque etiam annum quadragesimum nonum Iubilæi completum. Ita vt à creatione rerum ad illud tempus numerentur annorum septimanæ 357. & 51. Iubilæa, vt latius ex infra deducendis patebit. Ex dictis autem animaduertendum nunc est. Istam per annos Sabbaticos supputationem ex lege Mosaica à decimo die mensis septimi (Tisri) inchoandam, & non à Ianuario, qui annum Iulianum orditur, vt in præcedente capite significauimus. Vt ergo ad septenarii numeri perfectionem reuertamur. Constat illum præ aliis in diuinis rebus (nedum in profanis) esse sacrum. Quamuis enim cæteri numeri, qui tempora distinguunt, suo modo sacri sunt: vtpote ab ipso sacerrimo Deo ad vsus sacros ordinati, septimus tamen quisque in eo numero dies suam præ aliis peculiarem habet sanctificationem. Quum post perfectam rerum omnium creationem, Creator ipse sanctissimus, eum sibi suoque cultui consecrauerit. Ideoque in sacra Scriptura Sabbata sua sæpè vocat. Atque adeò legem de Sabbato obseruando statim ab initio, septimo ipsius mundi die tulit: vt in omne deinceps æuum tanquam ab eo benedictum seruaretur. Et ne legis ceremoniis annumeretur, in legem moralem quarto mandato inseruit. Quamuis enim quædam in eo ceremonialia Iudæis præscripta fuerint, quæ cum cæteris legalibus vmbris exoleuerunt: hanc tamen perpetuò manentem habet rationem, vt vna inter septem quasque dies diuino cultui dicaretur. Neque id modò obstat, quod in Ecclesia noui Testamenti

ſtamenti Iudęorum Sabbatum in diem proximè ſequentem (quem Dominicum vocamus) iuſtis de cauſis, maximè autem in reſurrectionis noſtri Seruatoris memoriam, fuerit tranſlatum, quin ipſe annorum Sabbaticorum calculus ad mundi vſque finem continuetur. Nam & *Ioannes* in Apocalypſi ſub ſonitus ſeptem tubarum figura, Sabbatariorum annorum periodos repræſentat, & proſequitur. Cęterùm ſeptenarii numeri perfectio, (vt quidam aiunt) in hoc oſtenditur, quod neque producitur neque producit: ſed eſt vnicus per ſe ex vnitatibus, continens duos primos perfectos, ternarium & quaternarium. Quin & ipſa ſeptenaria temporum partitio totum præſentis ſęculi ſpatium refert, quod ea, ſcilicet, periodo, ſemper ad ſua initia reuoluantur dies: & ſuccedens octauus alterius veluti ſæculi principium ſit. Non ſolum autem Iudęi ſeptimum quemque diem ſacrum obſeruabant, ſed & alia prȩcipua eorum feſta per ſeptenarium numerum ſupputabant. Principio enim Paſcha poſt duos ab initio anni ſeptenarios, nempe die 14. menſis primi Niſan celebrabant: deinde poſt vnum hebdomadum ſeptenarium, Pentecoſten, quam & feſtum hebdomadum nuncupabant. Et poſt menſium hebdomadam, hoc eſt, menſe ſeptimo, alia triſtia feſta. Et ſeptimo quoque anno שמיטה *Semita*, id eſt, dimiſſionis & libertatis Sabbatum. Poſt ſeptem denique annorum hebdomadas, hoc eſt, annos 49. Iubilæi annus ſacer tubarum clangore proclamabitur. Conſtat prȩtereà totum calculum annorum, tam lunarium, quàm ſolarium, apud Hebræos per ſeptenarios numeros procedere. Extat enim ad hunc vſque diem antiquiſſimi eorum computi forma, quam Cyclum Iudaicum vel eorum periodum vocamus, de qua fuſius in capite de prima Sab-

ma Sabbaticorum periodo annorum dicetur. Solarium etiam annorum ſupputatio per ſeptenarios procedit: eaque vulgata & facilis eſt. In anno enim Iuliano, quo nos vtimur, & ad quem cæteri anni ſolares veniunt reducendi, extat Cyclus, quem Solis vocamus, quatuor annorum conſtans ſeptimanis, quæ in ſumma 28. annos conſtituunt: per ſeptem procedens primas Alphabeti literas *a. b. c. d. e. f. g.* in ſuam periodum redeuntes, ita tamen vt quolibet quadriennio vna eliſa litera (quæ Dominicalis huius anni vulgò dicitur) 24. Februarii die (qui locus biſſextri appellatur) pro reliqua anni parte ordine retrogrado litera proximè præcedens ſuccedat. Vt ſi *b.* litera dominicalis fuerit (liceat vulgato more loqui) ſuccedat *a*, ſi *a. g.* atque ita de reliquis. Qua ſcilicet periodo feriæ omnes ſimul cum annis biſſextilibus in orbem redeunt. Fit autem huius Cycli calculus additis annis à Chriſti natiuitate nouem, deinde reliquis per 28 diuiſis (nam annus Chriſti decimus (vulgato computo) primus eſt iſtius Cycli,) & reſiduum poſt partitionem annum Solis currentem cum ſuo charactare demonſtrat. Eſt & alius *Dionyſii* (qui *Micros* vocabatur) Cyclus è 532 annorum conflatus periodis, deque 76 Sabbaticis annis, per quem aureum (quem vocant) numerum & terminos Paſchales iam diu dinumerare, & ad calculum reuocare mos fuit: de quo Cyclo nunc plura dicere ſuperſedemus, & de eo poſtea alicubi, vt occaſio tulerit, fiet mentio. De aliis etiam longis annorum periodis incidet poſtea dicendi locus. Sed in ſumma nunc tenere hoc ſufficiat, hanc per Sabbata vel ſeptimanas annorum putandi rationem continua ætatum ſerie ita commodam, ne dicam neceſſariam viſam fuiſſe, vt annorum curſus, non tam facilè, perſpicuè, & infallibiliter aliunde

peti

peti possit. Quod non solum *Danielis* hebdomadum exemplo cognitum habemus: sed & antiquitus, omnis, tam sacri, quàm politici temporis calculus per septenarios procedebat. Idque (teste *Iosepho Scaligero*) ab omnibus orientis populis, ab vltima antiquitate vsitatum est, vt per septimanas dierum sua facerent computa: qua de re apud varios authores multa licet reperire. Sed inter omnes annorum periodos, nulla memorabilior, exactior, nec vsu commodior, ea est, quæ ad *Danielis* hebdomadum imitationem ex septuaginta annorum conficitur septimanis: vel decem Iubilæis, hoc est, in totum, annis quadragentis & nonaginta. Est & alia periodus dimidio minor, quæ 35. annorum Sabbatis vel quinque Iubilæis, hoc est, 245 annis absoluitur. Videmus vt in harum periodorum vtraque, Sabbatariorum annorum peculiaris habeatur respectus, ex quibus consurgunt & componuntur. In hoc ergo nostro instituto opere hanc sequendam methodum duximus, vt per maiorem harum periodorum quæ ex 70 annorum septimanis *Danielis* hebdomadum exemplo) conficitur, annos nostros Sabbaticos ab orbis initio dinumeremus, ad Christi vsque ostensionis & prædicationis tempora. Nam ab eo tempore porrò minoris periodi maior est vsus, per quam, eruditorum opinione, temporum in *Ioannis* Apocalypsi memoratorum fit digestio. Maioris autem 490. annorum periodi, septima à mundi exordio ad vltimum 70. annorum Iudaicæ captiuitatis perfectissimo calculo extenditur, octaua, verò, Christi ferè tempora attingit. Cæterùm similium magnarum periodorum etiam apud politicarum rerum & mundi Historiarum scriptores fit memoria. Qui magnarum mutationum in rebus humanis eas esse iudicia frequenter nar-

rant, & magnorum Imperiorum & Monarchiarum mutationem vel interitum earum decurſu portendere eas indicant. De cauſis autem harum mutationum non conuenit, ſed variæ à diuerſis aſſignantur. Sed quod eas quidam cum imperito vulgo in caſum vel fortunæ volubilitatem reiiciunt, alienum eſt. Nam ita non eſſent ſtatæ, ſed incertiſsimę harum mutationum periodi. Nec omninò conuenit, quod alii in corruptos hominum mores eas referunt, vtpote qui vno in ſtatu diu permanere non poſſunt: ſed nouationes & alterationes aſſiduè quęrunt, etiam de meliore ſtatu in peiorem. Fateor quidem hanc vt concurrentem cauſam mutationum rectè poſſe deſignari. Sed cauſa præcipua ex altero procedit fundamento. Alii igitur omnes has reuolutiones ex cœli reuolutionibus pendere exiſtimant, nempe ex Syderum & Planetarum (quem vocant) influxu: per quem, omnia quæ in inferiori mundo fiunt, pendere aſſerunt, & moderari. Secundum quam cœli influendi vim, vel *energian* à ſuperis acceptam de terrenarum rerum ſtatu, & regnorum mutationibus ſua edunt *prognoſtica*. Equidem non negandum crediderim in cœleſtium corporum efficacia (præcipuè Solis, Lunæ, & Planetarum) ad res inferiores mouendas maximam ineſſe vim; ſed non hactenus mihi perſuaſus ſum homines in harum rerum cognitionem ita penetraſſe, vt ex his, regnorum, & rerum publicarum mutationes perfectè queant præuidere ac prędicere. Quamuis fieri poteſt, & probabiliter fit, eos multa, quod ad ſtatum particularium perſonarum attinet, inueniſſe & prędixiſſe. Quod ergo de his periodis inde colligunt, hucuſque imperfectum, & magna obſcuritate cenſeo inuolutum. Adhæc non ſum immemor *Platonem* in octauo ſuę Reipublicę libro hęc habere

habere, ἐπεὶ γενομένῳ παντὶ φθορὰ ἐστὶν, οὐδὲ ἡ τοιαύτη ἐνεστὶ τὸν ἀπαρταιβόλιον χρόνον, ἀλλὰ λαθεῖσαι, & quę ſequuntur. Quibus innuit in omni re genita corruptionē ineſſe, neq; Politiarum ſtatum omni manere tempore, ſed diſſolutionem pati: diſſolutionem enim hanc non ſolum plantis terrę inſitis, ſed etiam animantibus accidere, atque etiam hominibus, dum circulorum vniuſcuiuſque conuerſiones eueniunt: illis, ſcilicet, quę breuis ſunt durationis breues, contrariis contrà. Deinde diuinę geniturę periodos perfectas, numeriſque perfectis conſtare tradit, humanę non ita. Et Mathematicis inuolucris humanarum rerum periodos poſteà inuoluit, ita vt ſenſus valdè obſcurus ſit. Sed hoc innuere videtur, tres eſſe rerum publicarum ſtatus, nempè, ſurgentem, florentem, & decreſcentem. Quarum periodorum pręciſum tempus ęnigmatica locutione inuoluit, duarum harmoniarum numeris, & earum incrementis, & quatuor earundem periodorum terminos co ſtituit. Vt in rota (quam fortuna vocant) regnorum ſtatus deſcribi ſolent. Verum nos niſi ſolidius fundamentum, quam has philoſophicas coniecturas habeamus, nunquam ad perfectam harum periodorum cauſam deueniemus: Quæ magnas mutationes vel in Eccleſiaſticis vel in ciuilibus rebus adferunt. Propterea neceſſe eſt ad ſacras Scripturas nos conferamus. Primumque illud generale ex *Daniele* ſtatuamus: *Deum eſſe qui regna transfert: nam ipſe excelſus dominatur in regnis hominum, & ea cui voluerit, dat.* Et cum ipſe *Daniel* doceat periodum temporis, quo ſtatura eſſet Iudęorum poſt captiuitatem ſolutam Politia, 70. ſcilicet annorum hebdomadas, poſt quas, deſolationem pateretur ea reſpublica, quum hęc ſit magna (per quam nos numeramus) periodus circiter 500 annorum ſpatium continens, fa-

tali quadam lege à Deo fixum apparet huiuſmodi tempus eſſe quo alia regna & magna Imperia miram patiantur mutationem. Quod compertum & euidens eſt, multorum temporum exemplis, ita vt circiter talem temporis reuolutionem regna ipſa, vel cadant vel euerſa ſint, vel ſaltem à priore ſtatu in alias nouas formas maiori ex parte fuerint tranſlata, aliaque maiora accidentia, tam in eccleſiaſtico, quàm politico regimine, eueniant. Quod à Dei prouidentia tanquam præcipua cauſa manare non dubium eſt, qui neminem præter ſeipſum de ſe magnificè ſentire permittit: Propterea que (vt Poeta ait) *Summis negotum eſt ſtare diu.* Sed & in hoc etiam apparet magnam aliquam *energian* ineſſe ſeptenariis & Sabbaticis annorum numerationibus, ita vt per tales ſeptenarias periodos inſtar Sphæræ omnia in orbem redeant, Nihilque ſit (vt *Solomon* ait) ſub ſole nouum, ſed omnia ſuum tempus habeant, quo in contraria mutentur. Ad quam rem pertinet, quod de *Cratippo* Philoſopho memoratur: quum poſt deuictum in pugna Pharſalica *Pompeium* à *Cæſare*, *Pompeius* ipſe rogaret, an aliqua eſſet in rebus humanis diuina prouidentia, quum ipſe qui meliorem haberet cauſam in ea ſuccumberet? Reſpondiſſe enim ferunt Philoſophum, fatales certas eſſe imperiorum periodos, talique periodo Rempub. Romanam tum temporis in Monarchiam commutandam apparere: Quod & in aliis mundi Monarchiis & Imperiis antea accidiſſe ſatis conſtabat.

Iam quod ad alias magnas periodos attinet: habent & Iudei à veteribus acceptam magnam 6916 annorum periodum, per quam etiam ipſi Sabbaticos annos numerant de cuius initio, & procedendi ordine, vſuque ac vtilitate in capite ſequenti tractabitur. De aliis etiam

vbi

vbi commodum fuerit fiet mentio. Cæterum quocunque nos vertamus, constat magnam vim magnaque mysteria septenario numero inesse. Nam maxima mysteriorum, tam Veteris, quàm Noui Testamenti pars sub numero septenario comprehensa inuenitur: vt omnia ferè sacrificia, per septenaria fuerant oblata, vt per septem iuuencos, septem arietes, &c. Quod etiam à mercenario illo Propheta *Balaam* obseruatum fuit, vt *Numer.* 22. legitur. Gentibus etiam aliis vsitatum. Vnde illud Poetæ:

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit: totidem lectos de more bidentes.

Præcipua etiam Iudæorum Festa (vt dictum est) ad septenarios anni menses sunt supputata. septemque diebus continuata. Septem diebus in Paschate azima comedebant: Septem inde septimanę ad Pentecosten numerabantur. Plures festi dies in septimo mense celebrabantur. Similiter Sapientia septem columnis ædificauit sibi domum. Vbi per domum Ecclesiam, per columnas dona Sp. Sancti intelligimus, quæ tametsi multa sunt præcipuè tamen septenario numero exprimuntur. Sic etiam sub mysterio, septem lucernæ erant in Lychno Sanctuarii, & septem candelabra aurea vidit Ioannes in Apocalypsi. Et in *Zacharia*, lapis, qui est Christus, septem habet oculos. In Nouo item Testamento, septem electi Diaconi perfectum signant numerum, mali etiam spiritus numero signantur septenario. Et per totam *Ioannis* Apocalypsin, multiplex Ecclesiæ status septenario numero describitur: Septem Ecclesiis Asiæ, & eorum 7. Angelis scribere mandat Christus: Liber mysticus septem sigillis signatur: Septem Angeli cum septem tubis, & septem phialis speciem status Ecclesiæ vltimis

temporibus repræſentant. Et multa alia huiuſmodi reperire licet ſub ſeptenario numero expreſſa. Et in rebus naturalibus, (ſi libet inſiſtere) idem licet obſeruare. Septem ſunt Planetæ, & inter fixa ſydera ſeptem vocantur Pleiades, & ſeptem Hyades: Vrſa etiam vtraque ſeptem Stellis figuratur. Et in ſumma hebdomadibus vniuerſum voluitur, cuncta fouens quæ vigent & germinant. Septem in terra ſunt habitabilia Climata, ſeptem pedum eſt humani corporis ſtructura, cum innumeris huiuſmodi. Sed hic finem impoſuiſſe ſufficiat.

Cap. III.

De Prima Sabbaticorum annorum Periodo: quæ à mundi exordio ad annum eiuſdem 490. extenditur.

QVam facilis & expedita ſit annorum mundi per Sabbaticas Periodos digeſtio hinc apparere cuiuis conſideranti poterit, quod intra certas metas & cancellos ea ſupputatio ita includatur & contineatur, vt errorem aliquem probabilem admittere non poſſit: vt in aliis Chronologicis facillimè euenit obſeruationibus, vbi annorum & temporum nulla certa præſcribitur, dinumerandi methodus, ſed vt cuique libet annos ipſos ex hiſtoricis colligere monumentis (quorum pleraque incerta, & ſuſpectæ ſunt fidei, alia fabuloſa, & ſibi inuicem derogatoria, & nonnunquam contraria deprehenduntur.) Scriptores ipſi ſatis putant vulgatam aliorum eos præ-

eos præcedentium in annorum numeris ſequi opinionem, & negligentius, quàm par eſt, rem tantam tractando, ſubinde obrepentes errores non animaduertunt, nec ſatis corrigere laborant: ſed velut hi, qui in lato verſantur campo, vbi multiplices ſunt viarum anfractus, ſi recti itineris incerti ſint facilè in deuia loca exorbitant, & à deſtinato progrediendi termino abripiuntur: Ita ſcriptores hi qui multas citra delectum legentes Hiſtorias, incerti plerunque quò ſe vertant, quemue potiſſimùm ſequantur, recti iteneris duce deſtituti, facillimè in errores labuntur; quum qui directa progredientes via, quæ ſepibus vtrinque ſit incluſa, ſecuri incedant, nec exorbitare ſe patiantur. Quam rem experimento cognitam in noſtro hoc inſtituto opere procedendi certis obſeruatis metis ſpero præſtabimus. Vt ergo rectum hoc ingrediamur iter, quod ad hanc primam annorum Sabbaticorum Periodum pertinet, certam & infallibilem S. Scripturarum authoritatem tanquam ducem tutiſſimum ſecuti, deprehendimus illam in ætatis Patriarchæ *Iaredi* anno trigeſimo terminari. Sunt enim à primo mundi anno ad hunc numerati anno 490 hoc ordine ex Geneſeos quinto capite: *Adam* cum genuit *Seth* annorum erat centum & triginta, *Seth* natus quinque & centum annis genuit *Enos*. Tum *Enos* nonageſimum annum agens *Cenanem* genuit: is autem ſeptuageſimo ætatis anno progenuit *Mahalahelem*: cui cum ſexaginta quinque eſſet annorum natus eſt *Iered*: his additi triginta *Iaredi* anni, complent primam 490 annorum periodum. In qua ſex numerantur Patriarchæ, *Adam*, *Seth*, *Enos*, *Cenan*, *Mahalahel*, & *Iered*. Quod autem ſeptuaginta Interpretum tranſlatio quæ nunc extat plures dinumerat annos, vtpote *Adamo* dando annos ducentos

centos & triginta anteqnam *Sethum* procrearet, aliis etiam Patriarchis plures annos, ita vt ad diluuium numerent annos mille vltra hebraicam à *Moyse* scriptorum annorum positam veritatem: causam huius dissonantię alii aliam assignant. Quidam enim illam scriptorum tribuunt errori, qui de Bibliotheca regis Aegypti *Ptolomæi Philadelphi* codicem describendum acceperunt. Alij ab ipsis 72. Interpretibus errorem manasse autumant, qui de Aegyptiis apud quos translata erat *Moysis* lex solliciti erant, ne illis daretur calumniandi occasio, quum ipsi multa millia annorum ab orbe condito supputarent. Sed vtcunque hic error acciderit, ab hebraica sacrarum Scripturarum autoritate recedendum non est; alioqui nihil certi in annorum mundi computo reperietur. Et absurditatem 72. Interpretum & Græcorum annorum computi, inde deprehendere licet, quod ex eorum calculo *Methusalem* vltra vniuersale diluuium, in quo tantùm octo animæ seruatæ dicuntur, aliquot annis vixisse reperietur. Quod nullo pacto cum sacrarum Scripturarum authoritate stare potest: vt *August.* lib. 15. De ciuitate Dei rectè colligit: & quid sequendum sit, ostendit, non tantum in illa, sed & in omni Hebræorum & Græcorum controuersia, nempe (quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque verum esse non potest) ei linguæ potius credendum, vnde est in aliam per interpretes facta translatio. Ergo certo teneamus hunc annorum numerum à primo homine ad 30 *Iaredi* annum esse 490, qui primam mundi complent periodum. De tempore etiam creationis mundi quæstio est, quo scilicet anni tempore conditus fuerit: Septembriue mense (secundum nostri *Iuliani* anni vsum loquor) an in Martio vbi omnia vernant, iuxta illud Poetæ:

Nos

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & Hybernis parcebant flatibus Euri,
Quum primum lucem pecudes hausêre virique
Immiſſæq; feræ ſiluis, & ſydere cælo.

Aliaque nonnulla argumenta adducuntur, vtpote quod inſignes maximè euentus verno tempore incidant, quum mundum ipſum videamus eo anni tempore quaſi renouari. Ipſumq; diluuium circa hoc anni tempus incidiſſe affirmant, quum mundus denuò velut interitum patiens, aquis eſſet obrutus. Stat tamen, mea ſententia, contrarium verum, nempe in Tiſri menſe Hæbræorum (qui noſtro Septembri reſpondet) mundum ſumpſiſſe originem: ad quod aſſerendum maximè adducor ipſorum Sabbaticorum annorum argumento. Nam conſtat ex Legis diuinæ inſtituto Sabbatariorum annorum obſeruationem ab eo menſe inchoari: vt ex Leuitico 23. & 25 capite colligitur, qui menſis [illegible] erat ſeptimus à nouo menſe in Exodo inſtituto. Ab hoc ergo Anno Iudæi ſuos ſupputauerunt Annos Sabbaticos. Iudicio præterea eſt eo menſe, nempe ſub Autumni initium, vel circiter mundum fuiſſe fabrefactum; quum omnia tum maturuerint, ſuis cum ſeminibus, arboreſq; ſuum fructum proferrent, vt ex Geneſeos patet hiſtoria. Proptereaque illud anni tempus principium naturale ipſius anni rectè vocari poteſt. Et quod ad anni tempus, quo diluuium inundauit, pertinet, conſtat menſes ea tempeſtate nondum nomina propria habuiſſe, ſed numero tantum fuiſſe diſtinctos. Quod ergo dicitur in ſacra hiſtoria, anno ſexcenteſimo vitæ *Noæ*, menſe ſecundo, pluuiam fuiſſe ſuper terram, quæ per 40

dies, & totidem noctes continuata fuit, de menſe ſecundo ab autumnali, æquinoctio potius quàm à vernali intelligendum videtur, qui menſis poſtea בול *bul* ab Hebræis appellatus erat, & noſtro Octobri ferè conformis eſt. Quod nomen Hebræi volunt à יבל quod fluere ſonat, deriuari, & inde מבול diluuium deſcendere: nam eo menſe communiter fit imbrium & tempeſtatum inundatio. Nec valet quidam contra argumentum ducunt de folio Oliuæ virente ad *Noam* à columba reportato, vt probent id verno tempore accidiſſe, quum folia Oliuarum in illis regionibus quouis anni tempore haberi potuiſſent. Teneamus ergo probabilioribus motiuationibus mundi & Sabbaticorum annorum principium in autumnale tempus incidiſſe. Ex quo conſequitur rectam horum Sabbatariorum annorum annumerationem & principium, (vt ſupra quoque meminimus) à menſe *Tiſri* Hebræorum, noſtroque Septembri, & ab ipſo ſeptimo creationis die eſſe ſumendum: quo die ab omni opere ſuo requieuit Deus. Mirumque mihi videtur tantam fuiſſe egregiorum alioqui ſcriptorum, qui in re chronographica verſati ſunt, incogitantiam, ne dicam oſcitantiam, qui ad hanc Sabbaticorum annorum conſiderationem animum non appulerunt, imo eorum (præter paucos) vix meminerunt: præſertim cum ex *Daniele* intelligere potuiſſent, aliquod magnum in his latere myſterium. Nam quod ad Iudæos noſtrorum temporum attinet, mirum non eſt (quamuis *Munſterus* & hoc miratur) illos vel ignorare, vel de induſtria confundere omnia ferè ea quæ ad illuſtrandum Seruatoris noſtri aduentum facere videntur; præcipuè rectum annorum numerum à *Daniele* ad hunc deſignandum traditorum. Hi ergo vt cæci ſunt & cæcorum duces, ea omnia

omnia cæcitate & tenebris involuunt, quæ clara ſatis in ſacris Literis de annis ſemita & Iubilęis habentur, nec ſuam ipſorum legem intelligunt. Inde eſt quod ſe dubitare aiunt, quomodo, quum à *Moyſe* ſcribatur quinquageſimum annum eſſe Iubilęum, nos 49 annos tantum pro Iubilęo numeremus: ſed ad ſua ipſorum feſta non attendunt, quæ ſeptimo ipſorum menſe fuerant inſtituta: in quo menſe ex *Moyſis* præſcripto ſtatim poſt illius initium, nempe decimo illius die (qui dies expiationis erat) tuba perſonaret in tota illorum terra Iubilæum ipſum proclamando. Quod de finito Iubilęo (dubio procul) intelligendum eſt: non de Iubilęi anno adhuc currente; nec de toto illo quinquageſimo anno, cuius tunc decem tantum dies laberentur. Nam de Iubilęi annis antea dixerat *Moyſes*, *Numerato tibi ſeptem ſeptimanas annorum, ſeptem annos, ſeptem vicibus, ita vt tempus ſeptem ſeptimanarum annorum ſunt tibi quadraginta nouem anni: tunc facito vt perſonet clangor tubæ, &c.* hoc de fine Iubilęi intelligendum quis ſanæ mentis dubitet? & non de annis illius adhuc currentibus, quum 49 annos antea diſertè *Moyſes* pro ipſius complemento præſcripſerit. Et quamuis à *Moyſe* dicatur quinquageſimum eſſe Iubilæi annum, hoc de toto quinquageſimo intelligi non poteſt: ſed de illius initio, in quo תרוע hoc eſt, buccina ſonaret, ex arietino cornu, & annos 49 finitos eſſe proclamaretur. Nam nomen ipſum nihil aliud ſonat quam huiuſmodi buccinam, quamuis pro toto tempore annorum, quos Iubilęos vocamus, vulgò vſurpetur. Quinquageſimus itaque annus in cuius principio *Iubal* ſonaret è numero 49 annorum excludebatur, & nouum inchoabat calculum, ſic vt primus eſſet 49 annorum, qui alterum Iubilęum conſtituerent: alioquin abſurdum

esset decem dies pro integro anno accipi, quum tot dies tantum essent ad tubę clangorem in 50 anno. Nec obstat quod dicitur illum annum in quo *Iubal* sonaret (nempe quinquagesimum) sanctum esse. Hoc enim respectu solennitatis ipsius in decimo die huius anni celebratę dicitur. Nam omnes festi dies sacri erant, & quod subditur, de non seminando neque metendo Iubilęi anno, id de pręteriti non futuri anni culturę intermissione intelligi necesse est; qui cum annus esset quadragesimus nonus ex lege Sabbaticus erat. Nam absurdum fuisset, & à Legislatoris mente alienum, duos Sabbatarios annos simul concurrere: vnde enim populus ille interea sustentaretur, si per continuos duos annos terra inculta iaceret? nec enim fingenda sunt miracula, vt (quemadmodum in deserto) populus interea Manna aleretur. Et expressè reclamat id quod in eodem *Leuit.* 25. capite sequitur, vers. 20. *Sin autem dicatis, quid comedemus anno illo septimo, si non sumus seminaturi, neq; collecturi prouentum nostrum? at mandabo benedictionem meam vobis fore anno quoque sexto; ita vt proferat prouentum suum in tres annos: Nam seminabis anno octauo, & comedetis de illo prouentu veterem fructum vsq; ad annum nonum: vsq; dum prouenerit prouentus eius comedetis veterem.* Hoc omnino contrarium esset superiori huius capitis parti, si quinquagesimo quouis anno intelligatur, debere terram incultam iacere. Nam quinquagesimus annus Sabbaticus non est, sed octauus proximus à septenario; alioqui per hebomades annorum supputatio omnino confunderetur: tametsi quinquagesimus annus vulgato loquendi modo Iubilęus vocetur. Vt Grecorum Olympiades, quamuis quatuor tantum annorum spatium comprehendant, simili ratione tamen *Pindarus* Poeta

certamen

certamen illud sacrum πεντακτηρίδα vocat, hoc est, quinquennale. Vbi Scholiastes γίνεται δὲ ὁ ἀγὼν ποτὲ μὲν διὰ τεσσαρακοντὰ ἔτεσιν μετῶν, ποτὲ δὲ πεντήκοντα. ὁδὲν ἢ ποτὲ μὲν τοῦ Ἀπολλωνίου, ποτὲ δὲ τοῦ παρθενίου ἀποτελεῖται. Quibus verbis innuit sacra panygerica quæ post illud certamen *Ioui* Olympio fiebant post completum quadriennii spatium, nempe quinto anno ineunte, aliquando 49. mense, aliquando quinquagesimo secundum Græcorum anni varietatem, per sacrificiorum oblationem peragi solere. Non secus atque Iudæorum illa solennitas quæ πεντηκοστὴ dicitur post 49 celebrabatur dies. Sed vt nos consueto loquendi more vnius Hebdomadis spatium & periodum, octiduum appellamus, quamuis septem tantummodo dies contineat. Quibus exemplis euidens est, quamuis quinquagesimus annus Iudęorum, Iubilęus vocetur: hoc tamen de solennitate in principio illius anni, & non de toto anno intelligendum. Nam Pontificiorum Romanensium nothos illos Iubilæos annos nihil moramur. Proximum est vt de Iudęorum magna illa Periodo 6916 annorum loquamur, cuius initium in hac prima incidit Periodo; hoc est, in mundi anno centesimo nonagesimo. Non enim ad mundi originem extenditur, vt Iudęorum multi falso putant, qui nostrorum sunt temporum. Antiquissima tamen eorum computi forma est. Et quamuis huius Cycli seu Periodi in Sacris Literis nulla reperiatur memoria: à Iudæorum doctissimis ac peritissimis Rabbinis eam desumere fas est, per quorum etiam manus, sacra Veteris Testamenti scripta ad nos peruenerunt. Et hunc eorum Cyclum posteri à Patribus haud dubiè hauserunt. Causa autem cur ad creationis initium non extendatur ab *Henrico wolfio* adfertur (quam & ego probo) nempe quod nullus ante æræ

huius principium annus erat, in quo Cyclus vterque lunaris & ſolaris ſimul incidant. Quod in annis 432 ſemel tantum accidit. Cæterum per eorum Cyclum 6916 annorum, non tantum Sabbaticos annos & Iubilæos ſupputant, ſed etiam omnium annorum & menſium neomenias, atque etiam ferias. Nam artificioſiſſimè, inquit *Scaliger*, compoſitus eſt & excogitatus, idque ſeptenariorum annorum ope. In calculo enim qui fit per tabulas ad hoc deputatas in lunarum annorum & menſium inquiſitione omnes ſeptenarii à calculo auferuntur, & ſolum quod ſupereſt in ratiocinium venit. Vt in menſibus, qui 29 ſunt dierum, ablatis ſeptenariis, ſolus qui ſupereſt vnus dies. Pro anno, non dies 365, ſed ſubductis omnibus ſeptenariis dies quatuor. Similiter pro Cyclo lunari non 6941 dies; ſed ab vltimo ſeptenario dies duo numerantur. Qua de re qui plura videre velit, apud *Ioſephum Scaligerum* & *Henricum Wolfium* ſatis diligentem huius calculi tractatorem reperiet. Penes quos harum & ſimilium ſupputationum tabulæ in promptu extant. Si quis autem huius Cycli calculum ad annos mundi conferre voluerit, auferat à mundi annis 189, ſi à periodo Iudaica inchoandum erit, vel eoſdem addat, ſi à mundi exordio facienda eſt ſupputatio. Nam annus primus huius periodi, nempe mundi 190 annus, primus eſt ſemitę, hoc eſt, Sabbatarii anni: & ſunt adhuc à mundi exordio vſque ad hunc annum Sabbata annorum 27, & Iubilęa tria cum ſex annorum ſeptimanis. Totius autem huius primę noſtræ ſupputationis periodi, (vt & reliquarum) ſunt 70 Sabbatarii anni & Iubilęa decem. Incidit autem Periodi Iudaicæ annus primus in annum vitæ *Sethi* filii *Adam* 60, & ipſius *Adami* 190 annum. Nunc ſupereſt vt de Sabbatariorum anno-

annorum calculo à nobis inſtituto aliquid in genere dicamus, à quo ſcilicet anni tempore illum inchoemus. A principio mundi ſcilicet ipſius, & ex conſequenti huius primæ periodi initio eum auſpicantur. Diximus autem ſupra in primo capite duplex fuiſſe annorum apud Hebræos initium. Nam antiquiſſimi eorum anni exordium non à Niſan qui menſis proximus verno æquinoctio eſt: ſed in Autumno a menſe Tiſri fuit, qui Septembri noſtro ferè reſpondet. Et quamuis mandato diuino Exod. 12. tranſlatum fuit anni principium in Niſan menſem ob memoriam ab Aegypto liberationis: tamen quoad ciuilia negotia pertinet, adque annorum Sabbaticorum & Iubilæorum ſupputationem, terræque laboris intermiſsionem, manſit conſuetum antiquitus anni principium in menſe ſeptimo Niſan. Noſtrum autem Iulianum annum notum eſt a menſe Ianuario poſt brumale ſolſtitium inchoari. Naturalis ergo Sabbatariorum annorum calculus a noſtro Septembri menſe aut circa eum, facienda erat, & a nonnullis adhuc ſeruatur. Sed nos eum a Ianuario inchoamus, ad annorum Iulianorum facilioremaccommodationem. Quia maior pars Sabbatarii, anni Ianuarii principium ſequitur. Qua de re noſtri huius operis lectores hic principio noſtræ progreſſionis præmonendos cenſuimus. De rebus autem memorabilibus quæ in hanc primam mundi periodum inciderunt conſulendus eſt liber Geneſeos. Quarum præcipuæ erant: de primorum parentum peccato fraude Satanæ commiſſo, ſub ſerpentis tegumento ſe inſinuantis, & de promiſſione ſeminis mulieris, nempe Chriſti, qui illius caput contereret: de *Abele* a fratre *Caino* interfecto, ob pietatem erga Deum; quæ prima crux & perſecutio fuit Eccleſiæ piorum, in perſona pii

homi

hominis ab impio homicida. Tum de Dei cultus instauratione ab altero *Adami* filio *Seth*, & ipsius nepote *Enos*, quo tempore cęptum est inuocari nomen *Iouæ*. Sed de his latius dicendi nunc non est locus. In hac autem prima Periodo vixit *Adam* 490 annis, *Seth* 360, *Enos* 270, *Cainan* 200, *Mahalaleel* 135, *Iared* 30, à cuius illo anno inchoatur secunda Periodus, nempe ab anno ætatis ipsius trigesimo primo.

Cap. IIII.

De secunda Sabbaticorum annorum Periodo, quæ à mundi 490 ad eiusdem 980 annum extenditur.

PRimam Sabbatariorum annorum Periodum iam absoluimus, in cuius etiam decus incidit occasio, vt de annorum Sabbaticorum recto initio, & de Iubilæorum annis, & recto calculo, deque Iudæorum magno illo 6916 annorum Cyclo (cuius ratio etiam ad annos Sabbatarios pertinet) differeremus. Nunc ad secundam venimus, cuius digestio facilis est, & ad superiorem Periodum connexio. Inchoatur enim ab anno mundi 490, & per duplicatum eum numerum ad 980 ab orbe condito annum extenditur, hoc est, ab anno *Iaredi* Patriarchæ trigesimo ad *Lamechi* patris *Noæ* annum centesimum sextum. Qui anni sic colliguntur. *Iared* à completo 30 anno vixit amplius centum triginta duos annos, & genuit *Henochum*. *Henoch* autem

autem ſexaginta quinque annorum genuit *Methuſalam*. Qui cum centum octoginta ſeptem annos natus eſſet, procreauit *Lamechum*; cuius anno centeſimo ſexto finitur hæc ſecunda Periodus. Nihil autem memorabilius in ea incidit, quàm *Henochi* Patriarchæ vita, quæ præ aliis accepta erat Deo. Nam legitur illum cum Deo ambulaſſe, hoc eſt, præ aliis ſui ſęculi vitæ innocentia Deum coluiſſe. &, vt Apoſtolus ad Heb. 11. ſcribit: de ipſo editum eſt teſtimonium, quod placuiſſet Deo antequam tranſferretur. Nam per fidem, quam erga Deum habuit, tranſlatus eſt ex hac mortali vita, mortemque non guſtauit, ſed cum peregiſſet vitę 365 annos, non amplius inuentus eſt. Is etiam à Prophetię dono præditus erat. Nam, vt de eo in Epiſt. Iudę ſcriptum eſt, prophetauit de poſtremorum temporum moribus ſeptimus ab *Adam Enoch*, dicens: *Ecce venit Dominus cum ſanctis millibus ſuis, vt ferat iudicium aduerſus omnes, & redarguat quoſcunque ex illis impios de factis omnibus quæ impiè patrârint, & de omnibus duris quæ loquuti fuerint aduerſus ipſum peccatores impii*: fuitq; eius tranſlatio ſpecimen immortalitatis. Poſt hanc vitam, quod tunc mundo obiecit Deus, vt crederent & ſcirent homines reſtare poſt mortẽ iudicium, quo eſſet Deus (vt Prophetia ipſius *Enoch* indicat) iudicaturus mundum, ſeruando pios, & de impiis ſumendo vltionẽ. Et quod annos Sabbaticos attinet, extat etiã magna periodus ab eo nomẽ habens, quę Sabbatũ *Enoch* appellatur. Eſtq; ſeptingentorũ annorũ. Dicitur autem Sabbatum *Enoch*, vel quia 700 ferè anni ſunt ab origine mundi ad natum Enochum, vel quia in illius ętatem incidit finis primę illius 700 annorum periodi: nam annus proximus à nato *Enoch*, erat mundi 623 qui anni 89 Sabbaticos annos conſtituunt. De computo

aurem horum Sabbatariorum annorum *Henoch*, pulchra & notatu digna ſunt, quæ ab eruditiſſimo *Ioſepho Scaligero* in ſuis, in computum Aethiopicum commentationibus traduntur. Quæ ipſius potius quam meis verbis libet referre. Aethopum vetus (inquit) Eccleſia tempus à creatione & primo homine ad συντέλειαν definiuit annorum 7000, hęc ſeptena millia annorum per centurias ſeptem diuidunt: quas vocant Sabbata ſiue Hebdomadas *Enoch*. Rurſus hebdomadas *Enoch* diuidunt per Iubilæa, quæ ſunt hebdomades hebdomadum annalium. Itaque hebdomas annalis eſt minima diuiſio: μεγίστη verò hęc tota & diuiſio pertinet ad periodum Iudaicam artificioſiſſimam. Quę conſtat ex quatuor Tekuphis: vna Tekupha dierum continet dies 91 ſeptimanas 13 annos 1729: quatuor ergo Tekuphę ſunt anni 6916, quæ ſunt 13 Periodi magnę Dionyſianæ: quæ ſingulę conſtant annis 532. Vna Periodus ergo habet annos 532, ſeptimanas annorum 76. Iubilęa decem, cum ſex ſeptimanis appendicibus. Iudęorum quoque priſca ſchola *ſuntelian coſmou* illis ſeptem millibus annorum definiebat. Differentia ſeptem millium, & Periodi Iudaicę 84 anni, qui ſunt Cycli tres Solares. Vides hìc vetuſtiſſimos Chriſtianos Aethiopas, eam Periodum amplexos, quos negare non poſſumus ἀκριβῶς in multis. Hæc ille. In tabula autem ipſa Aethiopica ſupputantur ab *Adam* vſque ad conſummationem ſęculi Iubilęa 142 cum ſex ſeptimanis, ad cõplementum 7000 annorum. Omnes verò annorum hebdomades mille. Et vt ſciamus Sabbatum *Enoch*, vnde vel quomodo prodit ex ſeptem annis, diuidatur per 700 annos, & prouenient 100 Sabbata, quod eſt Sabbatum *Enoch*. Vbi inter alia in ipſo computo Aethiopico expreſſè dicitur, fol. 337 ſummam

In lib. 7. de emend. temporum.

mam vniuſcuiuſque Iubilęi eſſe 49 annorum quod pro confirmatione noſtri calculi notandum eſt. Vbi etiam obſeruat *Scaliger* hunc Aethiopum Chriſtianorum Cyclum præ Iudaico perfectum eſſe. Nam quum ex 7000 annis conſtituatur, per additionem cuiuſque decimæ partis conſurgit, quæ vocatur Sabbatum *Enoch*. Qui ſeptimus ab *Adam* viuus in cœlum ſublatus eſt. Itaque vetus ſchola Iudęorum *Enoch* dicit, ſymbolum eſſe Sabbati cœleſtis, hoc eſt, quietis ęternæ. Nam *Adam*, *Sęth*, *Enos*, *Cainan*, *Mahalaleel*, *Iared* mortui ſunt, ſeptimus *Henoch* mortem non ſenſit. Hæc vtcunque ſe habeant, videmus hanc per Sabbata annorum enumerationem latiſsimè patere, multaſque in ſe perfectiones & myſteria comprehendere. In hac autem ſecunda Periodo vixit *Adam* 440 annis, *Seth* verò vixit per totam hanc Periodum, & præterea 62 annis. *Enos* ſimiliter tota hac periodo, & pręterea annis 160. *Cainan* autem poſt hanc periodum 255 annis *Mahalaleel* 210, *Iared* poſt eam ſuperuixit 342 annis. Adhuc autem viuente *Adamo*, qui nongentos triginta compleuit annos, contigit *Caini* ſobolem (vt *Ioſephus* recolit) per ſucceſſionem eſſe nequiſſimam, de quorum progenie in ſequentis periodi diſcurſu latius dicetur. Cęterùm *Sethi* progenies illo doctore & inſtigatore, pietatem & iuſtitiam coluit, inque terra in qua nati ſunt eius poſteri pacificè viuentes, ad multas ętates nihil crudele paſſi ſunt: ſed procedente tempore à *Caini* poſteritate, & ipſi corrupti per commixtionem à parentum integritate degenerârunt. Primi verò diſciplinam rerum cæleſtium didicerunt, & excoluerunt, per ſummi *Iouæ* nominis inuocationem. Sed & ornatum cœli conſiderantes, aſtrorum motus didicerunt, annorumque ſeriem inuenerunt, & poſteris tradiderunt. Et

ne dilaberentur quæ ab eis inuenta sunt (si eidem *Ioſepho* credimus) neue antequam ad notitiam deuenirent, perirent, quum prędixisset *Adam* exterminationem rerum futuram, eamque duplicem, vnam ignis vi, alteram aquarum inundatione: duas facientes columnas, alteram quidem ex cœtis lateribus, alteram vero ex lapidibus: in ambabus, quæ inuenerunt, descripserunt, vt si constructa ex lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens, præberet hominibus inscripta cognoscere. Ex quibus, inquit ille (quod fabulosum puto) lapideam sua ætate permansisse in Syria. Cæterum, vtcunque hęc se habeant, certum est piorum Ecclesiam post interfectum à *Caino Abelem*, à *Setho* & ipsius posteris & inchoatam esse & propagatam: sicut impiorum Synagogam à *Caino* ipsiusque filiis & posteris. Superest vt de *Methusalem* nonnihil dicamus, qui in hac secunda Periodo natus est, anno scilicet mundi 687 & omnium mortalium de quibus sacræ meminerunt literę diutissimè vixit. Nam ad annos nongentos sexaginta nouem vitam prorogasse scribitur: sicque ad complendum millenarium tantum 31 anni ei defuerunt, extenditurque eius vitę terminus ad annum ipsius diluuii qui erat mundi 1656 annus. Quo temporis curriculo multa scire potuit, & inuestigare, quæ per manus posteris tradita, vitę hominum, tam ad diuinas quam humanas res intelligendas valdè essent vtilia. Nam ob hanc præcipuè causam videtur Deus hominum ante diluuium ad tot annos prorogasse vitas, vt diuina in primis considerarent, & de potentia seminis promissi inter se conferrent, & de Satanæ insidiis, quas subinde dubio procul sunt experti. Cœlestia etiam vtpote cursus astrorum mirabiles optimè eis obseruare licuit. Adhæc etiam scientias & artes

varias

varias, hominum vitæ conducibiles reperire poterant & propagare. Cęterum Gręcam Bibliorum verſionem vel hoc nomine in numeris annorum repudiare oportet, quod eorum calculo qui huic verſioni innituntur, *Methuſalem* quatuordecim annis diluuio ſuperuixiſſet reperietur. Quod quam abſurdum & ſacrarum literarum veritati contrarium ſit, quiuis facilè animaduertit.

Cap. V.

De tertia Sabbaticorum annorum Periodo, quæ à mundi 980 anno ad 1470 ab ipſius origine protenditur.

REſtat in ordine, tertia illa Sabbaticorum annorum Periodus quæ diluuium vniuerſale anteceſſit, Aquis mundi anno 980 inchoata ad eiuſdem 1470 annum extenditur, hoc eſt, à *Lamechi* 106 anno ad *Noæ* eius filii ætatis annum quadringenteſimum decimum quartum. In eo autem periodico interuallo nihil memorabile in ſacra Hiſtoria de ſanctis patribus reperitur niſi *Lamechi* & *Noæ* ætatum partes, nempe *Lamechi* poſterior & *Noæ* prior. Vixit enim *Lamech* poſt inchoatã hanc periodũ annis 771: & ſic poſt complementũ eiuſdem 281 annis. Et *Noa* compleuerat in illius fine 414 annum. Cęterum ſi ad res incidentes circa illud temporis ſpatium attendamus, ſtatum illius talem eſſe

Gen. 5. 19. inueniemus, vt merito *Lamech* ſpiritu prophetico de *Noa* filio *artigono* dixerit, *Hic recreabit nos ab opere noſtro, & à labore manuum noſtrarum, propter terram cui maledixit Iova: propterea q́ vocauit nomen eius* Noa, *ideſt, quietum*: vel quiete recreantem, & ſolamen afferentem. Deplorat enim optimus Patriarcha calamitatem ſuorum temporum, in quibus maiore ex parte hominum exulabat pietas, pietateque & Dei timore prędditi ab impiis opprimebantur; quorum malitia indies creſcebat: propterea q́ue memor erat maledictionis contra primum hominem, & ipſius poſteros à Deo ipſo prolatæ ob peccatum, omnium malorum originem: idcirco ſub laboris manuum nomine totam miſeriam in quam ceciderat genus humanum, comprehendit. Sed ſpeciatim ſui ſæculi corruptos mores reſpicit, in quo impia *Caini* progenies contra pios Dei cultores inſolenter & ſuperbiſſimè ſe geſſit, vſq; adeo vt pii ipſi qui ſub nomine filiorum Dei à *Moyſe* denominabantur impiorum exemplis irretiti, quibus applaudebat impius mundus, in eorum ſocietatem ſe inſinuauerint, & filiarum ipſarum videntes externam venuſtatem, non tantùm cum iis matrimonia contraxerint, ſed & omnis generis libidinis turpitudine ſe illis miſcuerint. Quorum malorum, pater ille *Lamech*, quoddam leuamen, Deo inſpirante, tempore filii ipſius *Noæ* expectabat. Ideoque nomen filio ſolaminis & quietis impoſuit: quamuis hæc conſolatio ad paucos extendebatur, nempe ad eos ſolos qui per ipſius commonitionem, & prædicationem ad meliorem vitam conuertebantur. Nam prę ualuit impia *Caini* poſteritas, prę cipuè poſt primi parentis mortem, qui obiit annò mundi 930, qui fuit 56 annus *Lamechi*. & ante *Noam* natum annus 26. Impia, inquam, hęc poſteritas ita prę ualuit, vt

parum

parum profuerint Patriarchę *Noæ* admonitiones. Nam vt teſtatur ſacra Scriptura: *Quum cepiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filiæ fuiſſent editæ illis, videntes filii Dei,* (hoc eſt, pia *Sethi* poſteritas) *filias hominum* (nempe *Caini* progeniem) *quòd pulchræ eſſent, acceperunt ſibi fœminas, quas ex omnibus eligebant.* Et paulo poſt: *Erant Gygantes in terra illis diebus, ac etiam poſtea fuerunt, quando ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, quæ pepererunt illis liberos, hi ſunt potentiſsimi illi, qui fuerunt olim viri nominis.* Ab his ergo corrupta fuit terra, dum ſuo robore freti, procliues in omne facinus eſſent, ſpreto diuino numine, & abſque cura religionis. Ad hæc veræ pietatis, ſi qui erant cultores eos temnebant, & inſolenter opprimebant, ſuamque terrenam iactabant potentiam, vnde & γηγενεῖς à Poetis dicti ſunt. Et non dubium eſt, quin ob hanc terrenam ipſorum proſperitatem, multi ex piorum numero animis fracti fuerint, & niſi Deus eos in tempore conſolatus fuiſſet, partim excellentiſſimi viri *Henochi* in cœlum ex hac miſera vita tranſlatione, partim ſancti hominis *Noæ* commonitione, & conſolatione quotidiana, omnino huic tentationi de impiorum fœlicitate & terrena gloria, ſuccubuiſſent: vt maior interea pars in impiorum velut migrans caſtra ſuccubuit. Nam & pius Pſalmographus de ſe teſtatur, Penè lapſos fuiſſe ipſius pedes, & parum abfuiſſe quin offenderentur greſſus eius, quum indignaretur ob ſtatum inſanientium, proſperitatem improborum videns. Nam præterquam quòd omnia iis in hac vita ad votum ſuccederent, etiam opponebant cœlis os ſuum, & lingua eorum peruaſit terram. Ideoque populus Dei declinabat illuc, vt dubitaret, Deusne cognoſceret hæc, & num cognoſceret excelſus res mortalium: vnde videba-

Gen. 6.

Pſal. 73.

tur

tur inaniter purificasse animum suum, & in munditia lauasse manus suas, donec tandem Sanctuarium Dei esset ingressus, & finem impiorum vidisset. Quin & hæc tentatio vsque hodie non paucos occupat, multique à Deo derelicti in hac prorsus succumbunt, & improborum fiunt imitatores. Accedit ad hanc tentationem terrena talium sapientia, qua se in mundo ad honores, diuitias, & prosperitatem extollunt, quum filii Dei interea quasi sub eorum pedibus iaceant, & terrenis illis commodis plerunque destituantur. Nam & hi ex *Cainica* progenie artium & rerum vtilium inuentione clari euaserunt. Nam iuxta illud Christi ipsius dictum: *Filii huius sæculi in suis generationibus prudentiores sunt filiis lucis*. Ex hac itaque profana Cainitarum generatione fuit *Tubalcain* filius *Lamech*, filii *Methusael*, filii *Iarad*, filii *Enoch*, qui arma, & omnia ad artem fabrilem & metalla pertinentia inuenit. Et *Iubal* frater *Tubalcain* delicias Musicorum instrumentorum inuestigauit. *Iabal* etiam alius frater fuit autor degentium in tentoriis, & curandæ rei pecuariæ. Quinetiam sororem habuere *Nahamam*, quæ lanificio dedita vestium molliorum (vt traditur) vsum ex lana, linoque excogitauit, quum antea pellibus animantium tantum homines vterentur. His similibusque artibus & inuentionibus instructi Cainitę suam iactabant potentiam, & pios Dei cultores ludibrio habebant, eorum exprobrantes in mundo miserias, & non attendentes ad alteram meliorem vitam: nec quod per multas tribulationes, crucem & afflictionem Deus suos ad maiorem hac terrena potentiam & honorem, gloriamq; immortalitatis regni cœlorum euehat, & exemplo pii *Enochi* transferat. Quum ergo hi pias admonitiones *Noæ* & aliorum patrum ad meliorem mentem eos hortantium

contem-

contemnerent, & aliis ſceleribus, & libidinibus, etiam tyrannidem & crudelitatem erga pios adiicerent, meritas tandem omnium ſcelerum pœnas dederunt vniuerſali illo aquarum diluuio, ab itaro diuino numine eis immiſſo, vt ſequentis hiſtoriæ ſacræ docet narratio. Sed hactenus dicta nunc ſufficiant, de iſta tertia Sabbatariorum annorum periodo.

CAP. VI.

De quarta Sabbaticorum annorum Periodo, quæ à mundi 1470 anno ad eiuſdem 1960. annum extenditur.

BReuis eſt Hiſtoriæ ſacræ contextus in temporum digeſtione, quæ ante vniuerſale aquarũ diluuium elapſa ſunt. Annos tamen exactiſſimè dinumerat (vt audiuimus) per tres magnas Sabbatariorum annorum periodos, vſq; ad ætatis *Noæ* annum quadringenteſimum decimum quartum, qui erat mundi 1470. Nunc autẽ vlterius procedendo inuenimus quartam hanc periodum ad annum mundi 1960, hoc eſt, ad ætatis *Abrahami* Patriarchę annum duodecimum extendi. In hac autem periodo maximę inciderunt mundi mutationes, quas nunc ordine proſequemur, & de incidentibus in recto annorũ numero huius periodi quęſtionibus earumq; ſolutione tractabimus. Diximus autem ante in altera periodo *Lamechum Noæ* patrem, aliquid magnum de eo quum natus eſſet expectaſſe, ideoque nomen ei à quiete im-

posuisse, quod quietem & consolationem rebus piorum afflictis esset allaturus. Vt certè præsumendum est *Noam* officio suo in hac parte non defuisse. Sed tanta erat improborum obstinatio, vt parum profuerint illius commonitiones, quas ante diluuium (Dei prædictione certior redditus) centum viginti annis inchoauit. Vt plerique ex eruditis illum locum, Genes. 6. cap. vbi dicitur Deum præmonuisse *Noam* dies hominis centum viginti annorum futuros exponunt, nempe quod Deus tot annos daturus esset hominibus ad resipiscendum, qui, nisi intra illud spatium conuerterentur, omnes funditus diluuio aquarum obruerentur. Quamuis alii eum locum de communi hominum vita intelligunt: quasi diceret Dominus, se vitam hominũ à diluuio obbreuiaturum, vt non vltra 120 annos communi cursu extenderetur. Sed vt ad *Lamechum* & *Noam* redeamus. Vixit *Lamech* post natum *Noam* annis quingentis nonaginta quinque, omnesque ætatis illius anni erant 777 anni. Mortuusque est quinque annus ante diluuium. Audiuit ergo *Noam* filium de recipiscentia mundum admonentem per centum & quindecim annos. Nam anno vitę *Noæ* quadringentesimo & octuagesimo primo cępit ille (vt à Deo prę monitus erat) suas commonefactiones: quæ parum, aut nihil, per totum illud tempus impiis profuerunt. Sed vt scriptum est in Euangelio: *Sicfactumest in diebus Noæ comedebant & bibebant. & ducebant vxores, & dabant maritis, vsq; in diem quo ingressus est Noa in arcam, & venit diluuium & perdidit omnes.* Cæterum nihil in tota ista quarta Periodo, quod ad annos Sabbaticos pertinet, difficultatis occurrit, vsque ad annum ętatis *Noæ* quingentesimum, quum dicitur tres filios, *Sem*, *Cham*, & *Iaphet* genuisse. Quæstio autem est, quis illorum maximus natu fue-

Luke 17.

tu fuerit, alii enim *Sem*, alii *Iaphet*, ſeniorem fuiſſe cenſent. Nam de *Cham* quæſtio non eſt, de quo ſcribitur quum patri illuſiſſet dormienti, eum expergefactum nouiſſe quid illi fecerat natus eius minor natu, qui erat *Cham*. De reliquis duobus controuerſia eſt ex ambiguo illo dicto, Gen. 10. cap. verſ. 21. vbi habetur, Ipſi quoque *Sem* natos eſſe editos, patri omnium filiorum *Heberi*, & ſequitur in Hebræo אחי יפת הגדול, vbi dubia eſt interpreta-
vbi dubia eſt interpretatio, vtrum *Sem* in nominandi caſu frater *Iaphet* ſenior, vel in genitiuo, ſenioris *Iaphet* frater vocetur. Illi autem qui tenent fratrem maiorem natu fuiſſe *Iaphet* maximè ex eo mouentur, quod Gen. 11. cap. ſcribatur, *Sem* natum centum annos genuiſſe *Arphaxad*, biennio poſt diluuium. Dicunt enim ſi *Noah* quingenteſimo ætatis anno gignere cœpit: *Sem* non potuiſſe ſeniorem eſſe, ſed alium ex eius filiis. Nam quum diluuium incidiſſet anno *Noæ* ſexcenteſimo & poſt biennio è *Sem* natus eſſet *Arphaxad*, oportuit tum *Noam* fuiſſe ſexcentorum & duorum annorum: ideoque *Sem* natum eſſe biennio poſt patris annum quingenteſimum. Sed reſpondent alii, illud neceſſe non eſſe: nam quum dicatur in genere, Gen. 5. verſ. vlt. Poſtquam *Noa* natus erat quingentos annos, genuit *Sem*, *Cham*, & *Iaphet*, non de præciſo aliquo anno intelligendum illud eſſe aſſerunt, vno enim anno illum tres filios genuiſſe credibile non eſt, quum diſertè per ætates diſtinguantur. Sed quod circa quingenteſimum vitæ annum *Noa* filios illos genuerit. Ideoque locum illum Gen. 10. non magis probare *Iaphet*, quàm *Sem* natu fuiſſe maiorem, ſed potius contrarium. Quorum ſententiæ tanquam probabiliori ego accedo. Nam ה demonſtrationis litera dictioni הגדול præpoſita, potius proximum de quo fit ſermo repræſen-

tat quam alium remotiorem, de quo non principaliter, ſed obiter agitur. Propterea quum fiat de generatione *Sem* narratio, ego contextum cum aliis multis ſic interpretor, Gen. 10. verſ. 21. Etiam de *Sem* patre omnium filiorum *Heber*, & fratre *Iaphet* maiore, nati ſunt filii & non fratri *Iaphet* natu maioris in genetiuo: tacit etiam mecũ maxima interpretum pars. Nec obſtat quod *Sem* cum centum eſſet annorũ dicitur genuiſſe *Arphaxad* biennio poſt diluuium. Quamuis enim antea dictum eſſet *Noam* quum quingentorum eſſet annorum genuiſſe *Sem*, *Cham* & *Iaphet*, non de pręciſo anno (vt dictum eſt) hoc intelligendũ venit, ſed quod circa hoc tempus gignere cęperit *Noa*, & hoc intra biennium, quę non magna eſt ab integro numero 500 annorum diſtantia. Et ne quis erret in annorum mundi catalogo, qui per *Semi* fit ętatem, exprimitur à *Moyſe* pręciſus annus quo *Sem* genuit *Arphaxad*, à quo poſtea patrum deducitur Genealogia, & annorum cuiuſque catalogus. Qui à primogenitis familiarum ferè ſemper deducitur, vt recta conſtituatur annorum ſeries, ad perpetuam texendam Chronologiam à mundi ipſius exordio: in qua deducenda diligentiſſimus eſt *Moyſes*, vel potius per os *Moyſis* Sp. ſanctus. Stet ergo ſententia, *Sem* natorum *Noa* fuiſſe natu maximum. A cuius natiuitate *Noa* pater ferè per centum annos, quamuis in fabricatione arcæ occupatus, ſuam continuauit prędicationẽ, homines ad pœnitentiam hortatus, ſed fruſtra, donec tamen diluuiũ ingruens omnes ex improuiſo perdidit: quod accidit anno 600 vitę ipſius *Noa* qui fuit huius quartę periodi annus 186, & mundi (vt dictum eſt) 1656. Porrò ipſius diluuii hiſtoria in Gen. libro fuſè continetur, ad quem lectores remittimus. Sed quod ad noſtrum ſcopum attinet variæ hic incidunt dubitatio-

bitationes, quarum vna eſt quo anni tempore inciderit ipſum diluuium. Altera de ratione annorũ & menſium priſci illius ſęculi, atque alia etiam de diluuii ipſius anno de quibus particulariter hic erit tractandum. Sed ſi ſuperius dicta animaduertantur facilè diſcutiuntur. Supra enim cap. 3. quum de prima periodo ageremus, oſtendimus probabilioribus in mediũ adductis rationibus poſt autumnnale æquinoctium, diluuium incidiſſe, argumentaque in contrarium adducta diluimus. De altera etiam dubitatione, quæ fuerit ratio annorũ & menſium priſci ſęculi capite primo egimus, quum de annis & menſibus tractaremus. Vbi oſtendimus antiquiſſimi anni formam fuiſſe ex ſolari & lunari compoſitam, per quandam tunc vſitatam intercalationem. Quę proximè antiquæ Aegyptiorum anni formę acceſſiſſe videtur. Nam vt ille Aegyptius annus, ita priſcus ille mundi annus, ex menſibus duodecim, ſingulis dierum triginta conſtitutus erat. Poſt quos quinque dies ad complendum annum ſolarẽ adiectos (vt Aegyptiis) fuiſſe apparet. Nam, vt rectè ab aliis colligitur, poſt noctium & dierũ quadraginta imbrium inundationem pręualuerunt aquæ per 150 dies: quibus exactis requieuit arca menſe ſeptimo die 17. dein, decreſcunt aquæ ad menſem decimum: & poſt dies 40 aperitur arcæ feneſtra, expectatiſque poſtea ſeptem & ſeptem anno vitæ *Noæ* ſexcenteſimo primo, primo menſe, primo die menſis ſiccatę ſunt aquæ à ſuperficie terræ. Ex quibus collectis menſium & dierum numeris conſtat diluuium tenuiſſe terram antequam ſiccaretur annum integrum, & pręterea decem dies: quod tamen apertius ex ipſo Gen. contextu patet. Nam cap. 7. ſcribitur, *Noam* anno ſexcenteſimo vitę ipſius 17 die menſis ſecundi ingreſſum fuiſſe arcam. Et poſtea cap. 8.

anno ſexcenteſimo primo menſe ſecundo vigeſimo ſeptimo die menſis ipſum eſſe de arca egreſſum. Quod autem Iudæi noſtri temporis, & multi ex noſtris ex hac *Moyſis* dierum & menſium enumeratione colligunt, annos tempore diluuii fuiſſe lunares 354 dierum, ſolidum non eſt, vt benè probat *Ioſephus Scaliger*. Nam quamuis non incluſis 40 diebus quibus pluit ſub 150 ſequentibus ex illis menſibus & diebus colligantur dies 354, tamen tempus quoddam intermediũ eſt non expreſſum in ipſo cõtextu, nempe illud quod erat inter corui emiſſionem, & primam columbę, quod ſaltem vndecim dierum fuiſſe probabile eſt, quibus 11 diebus additis conſurgit annus ſolaris æquabilis 365 dierum; ſi vnicuique duodecim menſium tribuantur 30 dies. Ideoque merito colligere licet annum illum diluuii potius ſolarem quam Lunarem fuiſſe, & anno veteri Aegyptio (vt diximus) conformem, vel ad illius formam quàm proximè accedentem. Qua de re latius ſi placet audiendus eſt, & conſulendus *Ioſephus Scaliger* variis locis in 1. 2. & 3. libris de emendatione temporum. Nobis autem ſufficit in hoc noſtro de Sabbaticorum annorum periodis opere, omiſſa particularium dierum & neomeniarum ſcrupuloſa obſeruatione, annos ipſos & menſes ἐν πλάτει καὶ παχομερῶς commemorare: niſi vbi de variis annorum initiis dicendum erit, aut de menſium ipſorum connexione ad integrum annum conſtituendum. Maximè autem ea menſium differentia obſeruanda venit in annorum Sabbaticorum vero initio. Nam ex ſupradictis conſtat verum Sabbatariorum annorum principium fuiſſe circa autumnale ſolſtitium in menſe Hebręorum Tiſri. Nos autem vt notum eſt in anno Iuliano à Ianuario circa brumale ſolſtitium inchoamus, Proptereaque in annorum Sabbaticorum

corum per annos dinumeratione non à Tisri qui nostro ferè Septembri respondet, sed à Ianuario, eorum calculum sumimus, quia maior pars anni Sabbatici post mensis Ianuarii initium fluit. De aliis autem mensium & dierum obseruationibus, vbi occurrent in progressu huius operis agetur. Vt ad institutum ergo redeamus, hoc pro certo statuimus, antiquissimos illos annos tempore diluuii fuisse solares, ita tamen lunaribus admixtos, vt ex mensibus triginta dierum singuli constituerentur, qui propè ad lunarem cursum accedunt. Ad tertiam ergo quæstionem deuenientes de anno ipsius diluuii, parum aut nihil difficultatis in ea inuenimus. Nisi quod *Ioannes Functius* Chronographus alioqui nostri temporis satis celebris in sua posteriore editione asserit annum diluuii in sexcentesimum primum ætatis *Noæ* incidisse: idque ex regula, quam ipse dat tanquam infallibilem, quæ tamen fallibilis & fallax est, nempe, In rerum gestarum narratione, vbi menses & dies alicuius anni exprimuntur, hoc de annis perfectis & completis esse intelligendum. Oppositum enim verum est, designationem scilicet annorum & mensium annum currentem & non completum denotare. Et de diluuii anno clarissimus est Scripturæ contextus, vbi dicitur Gen. 7. anno sexcentesimo vitæ *Noæ*, mense secundo (nempe illius anni) die decimo septimo, hoc ipso die *Noam* ingressum esse in arcam. Et postea cap. 8. vers. 13. fuit sexcentesimo primo anno vitę *Noæ* primo die primi mensis anni illius siccatę sunt aquæ à superficie terræ. Sed in re adeo euidenti non insisto. Teneamus ergo pro certo annum diluuii, qui fuit ab orbe condito 1656, fuisse huius quartę periodi annum 242, & vitæ *Noæ* 600. Qui annus vnus est ex illustrissimis mundi epocharum annis: in quo horrendum

dum iræ Dei exemplum aduersus peccata editum fuit, quum aquarum inundatione finem accepit in terra degentium omnis caro: excepto iustitiæ præcone *Noa*, & his qui cum eo in arca seruati sunt: ab hoc ergo diluuii anno inchoatur secunda insignis mundi Epocha, seu æra temporis, à qua porro historici tempora supputant tanquam à noui mundi initio. Estque magnę Iudęorum periodi annus 1467. Et Sabbaticorum annorum à mundi conditu 237 annus quartus. Et Iubilęi trigesimi quarti annus 39. Et secundi Sabbati Enoch annus 956: de quo anno plura qui videre cupit, legat *Iosephi Scaligeri* de diluuio librum quintum in emendatione temporum opere: vbi inter alia ostendit annum illum 1467 Iudaicę periodi æquabilem fuisse, cuius Thoth cępit anno Iudaico antecedente feria 3. Cyclo Solis 12, mense Hebraico Cyclum die 14, quem ait vltimo Decembris anni Iuliani respondere, in quo diluuium cæptum fuit. Quamuis nostro iudicio supra diximus, eum potius circa nostrum Octobrem incidisse. Sed hæc quisque vt voluerit, accipiat. Difficile enim est in tanta vetustate temporis, & rerum obscuritate, non solum anni, sed etiam diei Epoches diluuii deprehensæ (vt ipse profitetur) cum aliis veteribus annorum formis exactissimo calculo conferre. Sufficietque nobis, hactenus per ea quæ dicta sunt intellexisse diluuii tempus post autumnale saltem solstitium incidisse anni mundi 1656 mense veterum computi secundo, die decimo septimo. Qui si cum veteri Hębreorum anno conferatur in similem diem nempe 17 mensis Marchesuan, qui nostro nunc ferè Octobri, aut priori parti Nouembris, respondet, incidisse possumus affirmare: si modo earum erat vtriusque anni forma. Laborem interea eruditissimi *Scaligeri* in subtiliore

liore harum rerum indagatione nullo modo improbamus. Sed potius ad ſtatus mundi illius veteris conſiderationem nos conferentes, iræ Dei aduerſus peccata hominum meminiſſe nos conuenit, & in tempore (vt Seruator noſter monuit) prȩcauere, ne impiorum illius ſæculi exemplum ſecuti, indulgentia diuina abutamur, qui quamuis longanimis & patiens ſceleratos diu toleret, eoſque aſſiduè ad pœnitentiam inuitet, tandem tamen, tarditatem pœnę ſupplicii grauitate compenſat. Meminerimus ergo venturi diei illius Domini (vt *Petrus* admonet) in quo impiorum hominum per ignem extremum futurum eſt exitium. Et quemadmodum vetus ille mundus aqua inundatus periit, qui olim per Dei ſermonem creatus extitit, ita nunc cœlum & terra, quæ ſunt eodem ſermone repoſita, ſeruantur igni in illum diem: In quo venturus eſt Dominus, vt fur in nocte, & cœli ſubito cum ſtridore prȩteribunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, terraque & quæ in eo ſunt omnia exurentur. Quum igitur hæc omnia ſint ſoluenda, quales opus eſt nos eſſe (inquit Apoſtolus) in ſanctis conuerſationibus & pietatis officiis? expectantes & properantes ad illius diei Dei aduentum, poſt quem cœlum nouum, & terram nouam pii expectant, ſecundum Dei promiſſum, in quibus iuſtitia inhabitabit. Ne ergo ſimiles ſimus illuſoribus illis, quos ſub hæc extrema tempora venturos prædixit, qui ſuis cupiditatibus inuoluti venturum iudicium non credunt, nec expectant, ſed ſtudeamus nos immaculatos & incontaminatos ſeruare, vt tales ab eo in illo die reperiamur: vt pluribus verbis eo in loco nos hortatur Apoſtolus. Quinetiam Chriſti ipſius commonefactionis meminiſſe nos decet, quam ſupra

commemorauimus, vbi huius cladis per aquas, cum extremo illo die collationem facit, dicens: *Sicut erant ante diluuium comedentes & bibentes, & accipientes vxores, & tradentes viris vſq; in diem quo ingreſſus eſt Noa in arcam. Et non cognouerunt, donec venit diluuium, & abſtulit vniuerſos ipſos: ſic enim* (inquit) *erit in aduentu filii hominis, vbi cariſsimi quinque à ſe inuicem ſeparabuntur. Num vnus abducetur, & alter relinquetur.* Quę verba quamuis de tempore obſidionis Ieroſolymæ à Romanis poſſint intelligi, ad mundi tamen finem propriè accommodantur, in quo dierum *Noæ* aptiſſima fit ad noſtra tempora accommodatio. Nunc reſtat vt annos huius periodi ſic colligamus. Sunt à 414 anno *Noæ* ad ſexcenteſimum eiuſdem, hoc eſt, diluuii annum 186 à diluuio *Abrahamum* 292. deinde *Abrami* anni 12, qui ſimul collecti complent hanc 490 annorum periodum.

Mat. 24.

CAP. VII.

De altera parte quartæ Sabbaticorum annorum periodi: quæ à diluuio ad ætatis Abrami 12 *annum, hoc eſt, à* 1656 *ad* 1960 *mundi annum extenditur.*

QVia poſt deletos aquarum inundatione veteris ſęculi homines, noui mundi ſeminarium per *Noæ* poſteros cœpit oriri, hanc partem quartæ Sabbatariorum annorum periodi à priore iure duximus ſeparandam, tanquam nouę Aerę temporum exordium, quod ad *Abrami* Patriarchæ & fidelium parentis annum duodecimum

cimum extenditur: annoſque 314 complectitur. Qui ſic per Patrum ætates, & *Semi* poſteros numerantur in ſacris Scripturis. *Sem* genuit *Arphaxad* biennio poſt di- Gen. 11.
luuium. *Arphaxad* 25 annorum genuit *Selam*: *Sela* 30 annos natus *Heberum*, *Heber* 34 annorum genuit *Pelagum*, qui 30 annum agens, progenuit *Rehu*, iſque 30 anno *Serugum*, *Serug* 30 anno *Nachorem*, *Nachor* 29 anno *Terachum*, *Terach* autem 70 ætatis anno *Abrahamum*, cuius 12 anno hęc completur Periodus. Summaque collectio annorum ad prius dictum 314 annorum numerum conſurgit. Res autem maximè memorabilis, quæ in hoc temporis curriculo incidit, erat immanis illius turris Babylonis exſtructio: quam impia & maledicta *Chami* filiorum *Noæ* natu minimi poſteritas aggreſſa eſt. Quæ non territa interitus prioris ſęculi exemplo non multis à diluuio annis, à Dei obedientia deſiſtens magnam illam molem, montis altiſsimi inſtar, impietatis ſuæ prębuit argumentum, quo ſuam tyrannidem & vniuerſale dominium aduerſus piorum Eccleſiam, ſtabilire conabatur, duce *Nimrodo Chami* nepote è *Chus* genito. Qui, vt Gen. 10.
ſacra teſtatur Hiſtoria: *Cœpit eſſe potens in terrâ, imo potens venator coram Iona*, hoc eſt, palam violentus hominum oppreſſor. Cæterum huius turris ædificationis cauſam prętenſam Scriptura fuiſſe teſtatur: quòd *Noæ* poſteri in vnum locum, nempe campum *Sennaar* congregati ſe inuicem hortati fuerant, vt per hanc ſtructuram ſibi nomen acquirerent, priuſquam diſpergerentur per terram. Sed Deus irritatus eorum temeritate & audacia, qua ſe non tantum vrbem, ſed & turrim ędificaturos putabant, cuius faſtigium exurgeret in cœlum: conſilia eorum diſſipans, linguarum confuſionem illis immiſit, ita vt ſermonum diuerſitate diſtracti, cogeren-

tur in varias terras, & orbis partes ſe diſtrahere. Contigit autem hæc turris Babylonicę hiſtoria, (cum qua, etiam coniuncta eſt regni Chaldęorum ſeu Aſſyriorum per *Ninrodum* inchoatio,) teſte *Beroſo* vetere hiſtoriographo, anno poſt diluuium, vel ſalutis ab aquis (vt ille vocat) centeſimo triceſimo primo, qui erat decimus annus ætatis *Rehu*. Quod potius ad inchoantem annum 131, quam ad deſinentem referendum probat *Pan. Cruſius*. Sed quod ad noſtrum Sabbaticorum annorum calculum pertinet: parum intereſt qua parte anni inciderit. Nam vtcunque ſupputetur annus à diluuio 131, eſt ab orbe condito 1787, & vitæ *Noa* 731 annus. *Auguſtinus*, *Beda* & alii ex recentioribus tradunt confuſionem linguarum ad tempus natiuitatis *Peleg* pertinere, quia in Geneſi ſcribitur, in diebus eius diuiſam eſſe terram. Sed terræ diuiſionem ad tempus hoc Scriptura non refert, ſed ad dies ipſius, hoc eſt, ad vitæ ipſius tempora. In nomine autem *Pelegi* (quod diuiſionē ſonat) à patre *Hebero* impoſito (vt apparet) ob futuram terræ ſub eius ętatem diuiſionem, pręuentio eſt, quam patres à *Noa* pręmoniti futuram ſatis intellexerunt. Quæ tamen ad tempus linguarum confuſionis dilata eſſe intelligitur: ex eo quod ſcribitur *Noa* poſteros conſilium ædificandę turris cæpiſſe, vt nomen ſuum celebre redderent priuſquam diſpergerentur in ſuperficiem terræ. Ad noſtrum ergo annorum calculum redeuntes, tempora huius poſterioris partis quartæ periodi per ſe ſatis clara, & à Spir. ſancto per *Moyſen* diſtincta reperimus, per patrum ætates & tempora, quibus filios progenuerunt: nam omniū ſcriptorum, diligentiſſimus eſt *Moyſes* in annorū per patrum ætates connumeratione, dum mundi hiſtoriam ab origine contexens ad *Abrami* vſq; natiuitatē nihil dubii in eorum

eorum reliquit exactiſſimo Catalogo: Nec dubium eſt quin eadem ſedulitate & diligentia per *Abrami* & reliquorum Patrum annos, ſequentia tempora exactè collegerit, & ad finem vſq; ſuæ ætatis, ne tempora mundi illius veteris vllo modo incerta relinquerẽtur. Nam abſque eo, tempora à *Thara* patris *Abrami* natiuitate porro in tenebris, & incerto laterent. Miror ergo quid mouerit noſtrorum temporum eruditos homines, vt de *Abrami* natiuitatis tempore tot dubia & quęſtiones mouerint. Nam niſi cõcedatur eum anno ſeptuageſimo patris *Thara* natum, vt Scriptura expreſſè teſtatur, omnino incertũ relinquetur quo tempore natus fuerit: quę res quantam confuſionem pariat in re chronologica, nemo eſt, qui non facilè animaduertat: ſi modò conſideret non tantùm huic noſtro operi, quod de Sabbaticorũ annorũ periodis inſtituitur omnem adimi fidem & ſupputationis ordinem: ſed S. Scripturarũ authoritatem maximè eleuari, & *Moyſi* Sp. ſancti amanuenſi, in annis mundi ab ipſius origine exactiſſima diligentia deducendis, tenebras obduci, & ipſam annorum digeſtionem ſummopere impediri, & interrumpi. Quapropter ſtatui in hac quæſtione de natiuitatis *Abrami* tempore, paulò diutius immorari, ne tantum commodum (non dicam mihi ſed & omnibus rei chronologicæ ſtudioſis) ſurripiatur. Vnde maximę ſequerentur omnium temporum, & mundi annorum confuſiones. Dico itaque *Moyſis* ipſius contextum, qui *Thara* anno ſeptuageſimo *Abramum* natum eſſe aſtruit, omnium contrariarum opinionum commentationibus merito eſſe prę ferendum. Nam ſi demus (vt illi volunt) anno 130 ætatis *Thara* natum eſſe, præterquam quod Scripturæ ſacræ authoritati, & expreſſis verbis contradicit, non magis probat cum illo

anno natum quam ſequenti 131 aut 132 anno. Nam ſi moratus eſt *Abram* in Charran vſque ad patris ipſius *Tharæ* obitum, qua certitudine firmabis, eum poſt patris ipſius mortem ſtatim in terram Canaan commigraſſe. Nam tempus aliquod intercedere oportuit, vt ſe *Abram* cum nepote, ex fratre *Lot*, & magna familia colligeret, cumquæ animis, quas acquiſiuerant in Charran, priuſquam poſt patris ſepulturam inde commigrarent, quod ſaltem vnius anni fuiſſe potuit apparere. Sed abſurdum magis eſt, quod ab iſtis ſupponitur ſexaginta annos interceſſiſſe inter *Tharæ* annum ſeptuageſimum, quo narratur à *Moyſe* natus eſſet *Abram* antequam reuera naſceretur, nempe patris 130 anno. Magnus enim hic hiatus eſt, & ſanctis Scripturis inſolens: nam ſi de duobus aut tribus annis eſſet quæſtio minus laborarcmus. Vt ergo his temporum perturbatoribus reſpondeam. Primum dico, neminem veterum (quantum ipſe norim) in ea qua ipſi ſunt fuiſſe ſententia, ſed hunc nodum quem ipſi obiiciunt, ſoluere ſategiſſe, præcipuè D. *Auguſtinum* & *Hieronymum*, de quorum reſponſionibus poſtea agetur. Videamus itaque quas illi pro ſua opinione ſtabilienda adducant rationes. Mouentur maximè ex eo quod tandem poſt mortuum patrem *Tharam* narratur à *Moyſe*, *Abramum* diuino mandato obedientem profectum eſſe in terram Canaan, quum eſſet 75 annorum. Vnde colligunt *Abramum* naſci non potuiſſe anno ætatis patris *Tharæ* ſeptuageſimo, ſed potius 130 vt ipſius ætas cum morte patris conueniat. Hoc enim aſſumunt vt confeſſum, ipſum ante obitum patris non migraſſe in terram Canaan. Quod maximè ſe confirmare putant dicto diui *Stephani*, Act. capite ſeptimo, vbi de *Abrami* migratione verba faciens de illo, ait:

ait: κατῴκησεν ἐν χαῤῥὰν καὶ ἀχοῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην. Ex illo enim inferunt *Abramum* primum habitasse in Charran cum patre *Thare* ad tempus aliquod, & non nisi mortuo patre inde migrasse. Propterea que cum dicitur *Tharam* quum vixisset 70 annis genuisse. *Abramum Nachor* & *Haram*, genuisse pro gignere cępisse exponunt. *Abramum*que non fuisse primogenitum, etiamsi primo sit nominatus, sed multis annis post *Tharæ* alios filios esse natum. Et alia nonnulla eo pertinentia pro huius opinionis confirmatione (vt ipsis videtur) facientia adferunt. Quibus omnibus respondeo, vt antea etiam ab aliis responsum est, omnia ista ad eorum assertionem stabiliendam non esse sufficientia. Sed contra cum primis opponenda sunt contextus ipsius *Moysis* verba, vbi desertè ait, *Abramum* anno 70 ætatis *Tharæ* esset natum. Et quamuis concedatur (quod non liquet) *Abramum* non fuisse *Tharæ* primogenitum, tamen id recta ratione colligi potest, quum primo loco nominetur, annum septuagesimum patris ad ipsius potius ętatem, quàm aliorum fratrum esse referendum. Nec obstat quod obiiciunt de filiis *Noæ*, quòd etsi *Sem* primus nominetur, tamen biennio post patris annum quingentesimum natus sit. Nam duorum annorum parua est distantia. Idque *Moyses* luculenter postea explicat, quum ait, *Sem* centum annorum genuit *Arphaxad*, biennio post diluuium. Sed in hoc loco maximè obseruandum, venit Spiritum sanctum per *Moysem* in annorum mundi serie, quam exactissimè prosequitur, aliorum fratrum potius quàm *Abrami* ætatem non respexisse. De illis enim obiter, & quasi in transcursu meminit, propter affinitates postea cum semine *Abrami* contractas, & propter *Lothum Harani* fratris *Abrami* filium.

filium. Series autem annorum mundi in qua contexenda adeo diligens erat *Moſes* rectè & perſpicuè obſeruari non poteſt, niſi per ętatem *Abrahami* ſupputentur anni, præcipuè quum de illius annis alibi ſępè fiat mentio, nec aliud certum annorum mundi iudicium habeamus, niſi per ętatem *Abrami* numerentur. Iam quod de hiſtorica *Moſis* narratione adſerunt, quod non niſi poſt mortem patris *Thara* (cuius in fine 11. cap. Geneſ. meminit Scriptura) de aduentu *Abrami* in terram Canaan mentio fiat, facilè refellitur, quum non raro in ſacris literis *anacephalaioſeis* reperiantur, vbi latius & ſpecialius explicantur ea quæ in prędcedentibus ſummatim & in genere dicta fuerant. Et perſpicatiſſimi etiam illorum qui hanc mouent couent controuerſiam in hoc loco, nempe initio 12 cap. recapitulationem agnoſcant: in eoque *analuſin* & expoſitionem prędcedentium de Dei mandato quod dedit *Abramo*, illiuſque obedientia fieri fatentur. *Theram* enim *Moſes* in fine 11. cap. tanquam ſepultum relinquit & initio 12 ad *Abramum* redit, eiuſque peregrinationem, cuius cauſa inſtituta eſt hiſtoriæ ſeries, particularia quędque, quę ad illum pertinent proſequens. Iam quod iſti, *Stephani* dicta vrgent, dum narrat poſt mortem *Thara* *Abramum* in terram promiſſam migraſſe, ędquus lector animaduertere poterit, ſanctum illum martyrem nihil in *Moſis* contextu diuerſum ab illius verbis aſſerere, neque de tempore, ſed ſerie hiſtoriæ libri Geneſeos loqui, vbi poſt mortem *Thara* mentio ſtatim particularis ſequitur de *Abrami* peregrinatione, & mandato á Deo illi dato in Vr Chaldęorum. Non ergo torquenda ſunt *Stephani* verba ad tempus quo primum cœpit *Abram* in terram Canaan migrare, aliud enim ille in mente habuit, nempe oſtendere aduerſariis, ſe nihil

à recta

á recta fide patrum & præcipuè *Abrami*, alienum ſentire, ideoque à vocatione *Abrami* narrationem inchoat, filium hiſtoriæ Moſaicę breuiter perſtringens, vt *Abraham* primum in Charran ad tempus ſubſtiterit, poſteaque Dei inſſu in Canaan migrauerit, mortiſque patris ipſius *Thara* quaſi in tranſcurſu mentionem faciens, quod ante prætermiſerat *Moſes*, poſtea repetit de *Abrami* obedientia: quæ narrandi ratio *Moſi* frequens eſt, cuius ſeriem narrationis hìc *Stephanus* ſequitur. Quomodo ſcilicet poſt mentionem de morte *Thara*, fuſius de *Abrami* profectione in terram Canaan meminit. Quamuis quod ad rem geſtam attinebat, tempore prior erat *Abrami* aduentus in terram Canaan, neq; aliter hunc locum intelligit *Auguſtinus*. Qui ad hoc probandum ſimilem *Moyſis* narrationem exempli cauſa adducit ſe fine cap. decimi, & initio 11 Geneſ. nam in fine 10 narrat *Moſes* familias filiorum *Noa* diuiſas fuiſſe in terra poſt diluuium, & tamen initio 11 narrationem inſerit, de ædificatione turris Babel, quæ ante eorum diuiſionem incidit. Concludimus ergo, ego & alii qui mecum ſentiunt, nec hoc loco, nec alibi ſæpè in *Moſis* narrationibus, ea, quæ, quoad ſeriem hiſtoriæ coniuncta ſunt tempore, ſimul in narratione eſſe cõiuncta. Alii etiam cum *Auguſtino* ex verbo *metoceſe* à *Stephano* in actis vſurpato argumentum ducunt, vt ipſius narrationẽ de morte *Thara* tueantur, colligunt enim profectionem *Abrami* in Canaan duplicem fuiſſe, primam ante mortem patris, quę fuit potius ad peregrinationem, ſecundã verò ad manſionem & fixam habitationem. De hac poſteriori ergo loqui *Stephanum*. Nam *metoceſen* migrare iuſſit ad habitationẽ propriè refertur. Sed reſpectu prius dictorũ non opus eſt ad hęc tranſire ſubterfu-

Lib. 16. cap. 15. de ciuitate Dei.

gia. Nam verba *Stephani* per *Mosis* narrationē interpretanda sunt & non contra, contextus *Mosis* ad superficiem verborum ipsius *Stephani* torquendus. Sunt & alię non leuis ponderis rationes quibus euinci potest, *Abramum* natum anno *Tharæ* septuagesimo, & non centesimo & trigesimo ipsius vitę. Nam nemo patrum post diluuium quorum anni quibus filios genuerant à *Mose* recensentur, reperitur prętęr *Tharam*, qui non ante quadragesimum annum ętatis filios genuerit. Et loco miraculi ducitur quod *Abramo* centenario de *Sara* genitus esset filius. Non ergo verisimile est *Abrami* patrem eum tam effœta ætate genuisse, & hoc sexaginta annis post alios filios *Nahor* & *Haramum*: quid quod *Abram* primo loco recensęatur anno 70 patris *Tharæ* natus? accedit ad hęc totius veteris Ecclesię iudicium, vt non tantum *Augustini*, sed *Hieronymi*, venerabilis *Bedæ*, *Iosephi*, *Isidori*, & aliorum, tam Iudęorum, quam Christianorum. Quorum nemo vel somniauit *Abramum* anno 130 *Tharæ* natum. Adde his magnam prerogatiuam *Abramo* præ aliis *Tharæ* filiis datam à Deo fuisse, vt caput suæ esset familiæ, nempe totius familię Hebręorum ex qua oriturus erat Christus. Non ergo in texenda genealogia *Tharæ* filiorum *Nachorū* aut *Harani* specialis habetur respectus, vt de aliquo illorum potius, quam de *Abramo* intelligeretur illum fuisse anno *Tharæ* 70 natum. Et vero simile est *Haran* saltem natum fuisse ante 70 patris annum: quum *Nahor* (alter fratrum) eius duxerit filiam. Concludimus ergo *Abramum* vocatum à Deo in suo natali solo, vt migraret in terram Canaan, non detraxisse imperium, nec expectasse patris obitum, sed quamprimum potuit nempe 75 ætatis anno illam terram ingressum esse, & diu ante mortem patris illic peregrinatum fuisse.

Con-

Contraria autem opinio de *Abrami* natiuitatis anno quę recens nata eſt, multa incommoda ſecum trahit, præcipuè autem totius ſacræ Chronologiæ confuſionem & euerſionem. Collectis itaque annis, vt diximus, per patrum ætates, à diluuio ad *Abramum* natum reperiuntur anni 292, & ad 12 eius annum finemque quartæ iſtius Periodi 304 anni. Vixit autem *Noa* poſt finitam hanc Periodum 46 annis, & tandem quum 950 eſſet annorum mortuus eſt. Similiter & *Sem*, & omnes illius poſteri quorum anni vitæ poſt diluuium memorantur vſque ad *Abramum*, Geneſ. 11. hanc Periodum ſuperauerunt: Videruntque inuiti impiam *Chami* poſteritatem nouam excitandę Dei irę aduerſus mundum ſubminiſtrare occaſionem: Quæ oblita omnium, quę antea in veteris mundi ſubuerſione, & ſubmerſione acciderant, *Nimrodo* duce opus illud arrogantiſſimi exempli, turrim ędificabant. Vnde non dubito natam eſſe Poetarum de gygantibus fabulam, qui montes montibus imponentes ipſum *Iouem* de cœlo detrudere moliebantur. Cęterum quod ſcribunt Hiſtorici *Nimrodum* hunc primum Chaldęorum vel Aſſyriorum cœpiſſe Monarchiam, eatenus verum eſt, quod primus ille in mundo cęperit dominari. Sed quia eius dominatio magis tyrannica quam legitima fuit, ſub iuſto imperio cenſeri non meretur. De aliis autem quæ ſub tempus quartę Periodi huius poſterioris partis inciderunt memorabilia, vtpote de diſperſione poſteritatis *Noæ* per omnes orbis partes, de linguarum diuerſitate, & de Idololatrię ſub finem huius Periodi inchoatione nunc non eſt dicendi locus, ſed ad hiſtoricorum ſcripta ea referimus, ad alias Sabbaticorum annorum Periodos properantes.

Cap. VIII.

De quinta Sabbatariorum annorum periodi, quæ à mundi 1960 anno ad eiusdem 2450 annum extenditur.

LAtiorem nunc campum ingredimur, de reliquis Sabbatariorum annorum Periodis dicturi, in quibus post dispersos in varias gentes per orbem terræ *Noæ* posteros, & in magnos populos multiplicatos, multę & magnę inciderunt rerum in mundo mutationes. Pręsertim cum in hac Periodo prima stabilita & erecta fuerit mundi Monarchia. Nam quamuis vt diximus in pręcedente periodo regnauerit *Nimrod*, à quo multi inchoarint primã hanc Assyriorũ Monarchiam, tamen quia illius vsurpatũ imperium magis violentũ & tyrannicũ quàm legitimũ fuit, eum in catalogo regũ huius Monarchię non numeramus. Ego prætereà eiusdem cum *Ioanne Carione* Historiographo sum opinionis, penes posteritatẽ *Nimrod* non permansisse imperium: sed apud *Assyrios* nouum regnum exortum fuisse per *Assur* (qui vnus *Semi* filiorum fuit) à quo (vt Scriptura testatur) vrbs Niniue condita fuit. Cęterum à *Nino* dictam fuisse hanc ciuitatem apparet. Ab hoc ergo *Nino* auspicantur alii Assyriorum regnum, qui in Oriente potentissimus euasit. Et sub temporibus huius *Nini* natum fuisse *Abramum* veraciores testantur Historiæ, sub cuius annum duodecimum finiebatur quarta Periodus. Ab hoc ergo anno

Gen. 10.

pro-

progredientes quintam numeramus periodum. Cuius initium in anno mundi 1960 ſtatuimus, non amplius 40 annis à ſecundo annorum mundi millenario diſtante, finem autem huius 4. Periodi, qui eſt ab orbe condito annus 2450 ad quartum annum ante exitum Iſraelitarũ ex Aegypto collocamus. Annos itaque intermedios huius Periodi ſic numeramus: à 12 anno nati *Abrami* ad ipſius annum 75. in quo facta à Deo illi eſt promiſſio de benedicendo ipſius ſemine, anni ſunt (ex 75 ipſius vitę) 63, à quo anno numerantur ad exitum filiorum Iſrael ab Aegypto per *Paulum* Galat. 3. & alibi anni 430 qui additi annis 63 ipſius *Abrami* efficiunt 493 annos. Qui tres anni ablati relinquunt 490, qui eſt finis iſtius Periodi. Quod ſi libet particularius annos ſupputare: ablatis ab *Abramo annis* 12 ſuperſunt ad natalem *Iſaaci* (anno ipſius centeſimo) 88 anni. Inde ad *Iacobum* & *Eſau* 60, & à natiuitate *Iacob* ad ingreſſum eiuſdem in Aegyptum anni 130, collectio horum annorum conficit annos 278 ſuperſunt ex hac Periodo 212 anni qui tranſierunt in mora filiorum Iſrael in Aegypto. Nam totum tempus habitationis illorum in Aegypto deprehenditur fuiſſe 215 annorum, vt poſtea probabitur. A quibus, ablatis tribus annis, remanent vt in ſuperiori computo 212 anni. Quos etiam particulari deductione probare poſſim effluxiſſe per particulares Patrum ætates: hoc modo: *Iacob* vixit in Aegypto annis 17. *Ioſeph* cum primo ſtetit coram *Pharaone* erat annorum 30, anno poſt hoc decimo venit *Iacob* in Aegyptum: vnde colligitur eum nonagenarium genuiſſe filium *Ioſeph*, qui poſt patrem vixit annis 53 additis his decim. ſeptimi *Iacobi*, ſunt anni 70 morę filiorum Iſrael in Aegypto, qui ex lib. Gen. colliguntur. Poſtea ſupputant Hebręi inter obitum *Ioſephi* Gen. 47. Gen. 41. Gen. 50.

& natum *Moſem* annos 65, quibus durauit ſeruitus in Aegypto. A nato autem *Moſe* anno 80 egreſſi ſunt Iſraelitę ex Aegypto. Summa horum annorum ad 215 (vt prius) extenditur, & demptis 3 annis ad 212, qui eſt finis huius Periodi, & ſeptuageſimus ſeptimus ætatis *Moyſis*. Iam ex Geneſ. 12. cap. conſtat *Abramo* factam eſſe promiſſionem de terra Canaan & benedicendo ipſius ſemine anno ætatis eiuſdem 75. Sed & de hoc anno à quibuſdam mouetur quęſtio, an ab eo numerandi ſunt anni 430 ad exitum ex Aegypto, an potius ab ingreſſu ipſorum Iſraelitarum in Aegyptum? Sed à promiſſione *Abramo* facta anno quo ingreſſus eſt terram Canaan (quo etiam anno cauſa famis profectus eſt in Aegyptum) ſupputandos eſſe illos annos optimus teſtis eſt *Paulus*, qui (vt dictum eſt) in Epiſt. ad Gal. cap. 3. diſertè ſcribit, legem quę poſt 430 annos lata erat non potuiſſe irritam reddere promiſſionem *Abramo* factam de benedicto ſemine. Vbi (dubio procul) promiſſionem illam intelligit Gen. 12 quę facta *Abramo* eſt, quum ingreſſus terram Canaan dicitur à *Moſe* 75 annos natus: Nam tria ibi iungit, ingreſſum *Abrami* in terram Canaan, 75 ętatis eius annum, & eidem factam ſponſionem. Non ergo ab ingreſſu *Iacob* (qui Iſrael dictus eſt) in Aegyptum ſupputandi veniunt illi 430 anni, vel ſaltem 400 anni vt iſti volunt, qui duobus monentur argumentis. Quorum prius eſt ex Gen. 15. cap. ſumptum, vbi ſcribitur, Semen *Abrahami* 400 annis in terra aliena affligendum, de Aegypto exponunt. Sed reuera ſemen *Abrahami* tum primum affligi cœpit, quum *Iſaac* promiſſionis filius annis 25 poſt promiſſionem natus adhuc puer (fortè quinquennis) ab ancillæ filio *Iſmaele* ludibria pateretur. Gal. 4. Quod apertè Apoſtolus perſecutionem vocat. A quo tempore

tempore ad exitum ab Aegypto numerantur 400 anni. Sed quod de terra aliena dicitur, in qua *Abrahami* posteri affligendi dicuntur ad Aegyptum referri non est necesse, nec ad descensum *Abrami* in Aegyptum. Nam & terra Canaan aliena erat semini *Abrahami*, donec impleta erant peccata habitantium in ea: & donec *Iosuæ* tempore cessit in hæreditatem filiis Israel. Huic etiam afflictioni vel persecutioni addere possumus *Isaaci* & *Iacobi* labores, quos inter alienigenas passi sunt: quos verè afflictiones appellare licet. Alterum quod adferunt argumentum est ex loco Exodi 12. cap. vbi dicitur, (vt illi interpretantur) Incolatus Israelitarum quo commorati sunt in Aegypto fuit 430 annorum. Sed ex Hebræo Idiomate ita commodè verti potest: qui commorati sunt in Aegypto, &non quo commorati sunt. Nam ואשר relatiuum ambiguum est, & vtrumque significare potest. Vt sit sensus. Israelitæ qui commorati sunt in Aegypto 430 annis incolæ erant. Vt ita tam ad terram Canaan quam Aegyptum referantur illi 430 anni. Alioqui quomodocunque exponatur certum est moram Israelitarum in Aegypto non fuisse 430 annorum ex ętatum maiorum *Mosis* supputatione, & annorum numeris. *Caath* enim filius *Leui* qui in Aegyptum cum patre descendit, vixit annis tantum 133, & eius filius *Amram* 137 annis. Et *Moses* illius filius natus erat annos 80 quum filios Israel ex Aegypto educeret: qui omnes anni tantum 350 annos efficiunt. Ex quibus si demamus annos priusquam *Caath* & *Amram* filios gignere potuerunt, aut verisimiliter genuerunt, minorem longè numerum reperiemus. Subducto ergo iusto calculo (vt ante supputauimus) tenendum est moram filiorum Israel in Aegypto tantum fuisse 215 annorum. Ita vt dimidium 430 annorum

Exod. 6.

rum ante ingreſſum Aegypti, & dimidium in ipſa Aegypto tranſactum eſſe videamus. Itaque nihil reſtat in hac annorum Periodo quod aliquam difficultatem ingerat, niſi vt Sabbaticos annos qui in ea inciderunt annotemus, quibus aliquid memorabile geſtum inuenitur. Quorum in primis occurrit annus ille 75 ætatis *Abrami*, in quo promiſſio Dei huic facta eſt de benedicto illo ſemine Chriſto, per quem nos benedicti & ſanctificati reddimur. Incidit illa in annorum mundi Sabbatum 289 & à mundo creato annum 2023, qui numerus annorum per ſeptenarium diuiſus prædicti exeunt anni Sabbatici & nulli relinquuntur ſuperabundantes anni. Simili modo annus natiuitatis magni illius Hebræorum Legiſlatoris *Moſis*, qui erat ab orbe condito 2373 Sabbaticus erat. Nam per ſeptem diuiſus conſtituit præciſa 339 annorum Sabbata. Iam vt probemus alios in hac Periodo annos mundi ſupputandi modos ad Sabbatarios annorum numeros non conuenire: ſumatur primo illorum opinio qui *Abramum* anno 130 patris *Tharæ* natum putant, eſt is annus mundi ex ſuperiore calculo 2008, qui anni per ſeptenariũ diuiſi poſt 286 Sabbata relinquunt abundantes ſex annos. Similiter ſi cum aliis ſupponamus moram filiorum Iſrael in Aegypto fuiſſe integrorum 430 annorum tunc addendi erunt ad noſtrum Sabbatariorum annorum calculum 115 anni, & erit annus mundi ad exitum ab Aegypto 2453 annus: qui anni per ſeptenarios diuiſi poſt 350 annorum Sabbata relinquunt tres ſuperfluos annos, quod non conuenit.

CAPVT.

Cap. IX.

De sexta Sabbatariorum annorum Periodo: quæ à mundi 2450 ad eiusdem 2940 annum extenditur.

SI quis rei Chronologicæ peritiam profitetur; & interim non considerat annorum seriem à mundi exordio ad exitum populi Israelis ab Aegypto, & porrò ad septimum regiminis *Iosuæ* annum in sacris literis satis sufficienter, imo clarè & luculenter digestam esse & consignatam, is mihi non modò iudicio falli, verumetiam nimium negligenter & inconsideratè temporum articulos in eisdem expressos obseruasse & intellexisse videtur. Præsertim cum præterquam quod sanctarum Scripturarum infallibilis sit authoritas, in eis quoque sic sit temporum, annorum, & circumstantiarum rei cuiusque digesta certitudo, vt si cum illis conferantur omniũ aliorum Historicorum ἐκ χρονογραφῶν scripta, præ illis futilia, fabulosa, incerta, & inter se plerunque contraria deprehenduntur. Vt autem id quod diximus clarius appareat in ista sexta Periodo; annum sextum regiminis *Iosuæ*, quo Hebræos in possessionem terræ promissæ induxit, pro certa fixa temporis Aera aut Epoche accipiemus, vnde mundi dinumeremus annos tam precedentes, quam in hac Periodo subsequentes.

Is annus est mundi 2499, ab ingressu Israelitarum in terram promissam sextus; annusque ab initio huius Periodi sextę 49. Annus autem sequens qui erat Ducis *Iosuæ* septimus, primus est *georgias* ipsius terrę, quo in pacificam illius possessionem fuerant introducti: quod sic demonstratur. *Caleb*, *Ios.* cap. 14. sic alloquitur ipsum *Iosuam*: Tu nosti sermonem, quem dixit *Mosis* seruus Dei de te & me in Cadesbarnea, 40 annos natus eram quum me mitteret *Moses* ad explorandam hanc terram: & retuli responsum quemadmodum erat in animo meo. Fratres verò mei qui ascenderant mecum, langueficerunt animos populi. Me autem secutum fuisse Iouam Deum meum. Iurauitque *Moses* die illo dicendo, nisi terra illa quam incessit pes tuus tibi cedat in possessionem, filiisque tuis in sęculum, quia secutus es Iouam Deum tuum. Nunc autem ecce viuum conseruauit me Ioua, quemadmodum dixerat. Iam quadragesimus quartus annus est quo locutus est verbum hoc *Mosis*, quum rediret Israel in desertum. Nunc ecce ego hodie natus sum 85 annos, adhuc hodie robustus sum vt cum misit me *Mosis*, &c. Et post pauca sequitur in fine cap. de Hebrone dato in possessionem *Calebo*. Tum terra quieuit à bello: quod autem annus quo missus erat *Caleb* ad explorandam terram, secundus erat ab exitu ab Aegypto, sic probatur. Num cap. 9 scribitur. Allocutus est Ioua *Mosen* in deserto Sinai anno secundo ab exitu Israelis de Aegypto, mense primo, dicendo, Vt celebrarent filii Israel Pascha statо suo tempore 15 die mensis huius, &c. & 10 cap. eiusdem libri. Fuit (inquit textus) anno secundo mense secundo, vigesimo die mensis eleuante se nube è tabernaculo testimonii vt proficiscerentur filii Israelis profectionibus suis è deserto Sinai, resedítque

reſeditque nubes in deſerto Paran. Et cap. 13 ſubiungitur, miſiſſe *Moſen* à deſerto Paranis viros 12 ad explorandam terram Canaan, inter quos erat *Caleb* filius *Iephunnæ* è tribu Iuda, Qui reuerti ſunt (vt poſtea ſequitur) ab exploratione terræ exactis 40 diebus. Quod autem mora totalis filiorum Iſrael in deſerto 40 erat annorum, ſic etiam ex Deuter. cap. 1. colligitur: vbi ait *Moſes* (e 40 anno (nempe exitus ab Aegypto) vndecimo menſe primo die menſis, allocutum eſſe filios Iſrael, ſecundum omnia illa quæ ſcripta ſunt in eo libro. Deinde poſt recitatum Deuteronomium *Moſen* mortuum eſſe 12 menſe illius 40 anni colligi poteſt. Nam poſtquam ſingulis tribubus Iſraelis (tanquam extremum dicturus vale) benedixiſſet, ſtatim 34. cap. eiuſdem libri ſequitur; poſt inſpectionem terræ Canaan mortuum eſſe *Moſen* ſeruum Domini, in terra Moabitarum, ex præſtituto Iouæ, fuiſſeque eum natum centum viginti annos. Et conſtat, vt in præcedenti Periodo oſtendimus, eum fuiſſe 80 annorum quum educeret populum ex Aegypto. Tum *Ioſua* 1. cap. ſtatim poſt mortem *Moſis* ſequitur *Ioſuam* mandatum accepiſſe à Domino, vt tranſiret Iordanem cum populo ſibi commiſſo ad poſſidendam terram, quam ipſe daturus erat filiis Iſraelis. Præcepit ergo *Ioſua* moderatoribus populi, dicendo: Parate vobis viaticum. Nam intra tres dies vos tranſituri eſtis Iordanem hunc. Quod & factum eſt. Preterea vt certò conſtet, totum ſpatium quo Iſraelitæ peregrinati ſunt ab exitu Aegypti vſque ad ingreſſum terræ Canaan fuiſſe præciſè 40 annorum per tempus cõmeſtionis Mannæ ſic probatur. Exodi 16 cap. prope finem ſcribitur: Filii Iſraelis veſcebantur Manna 40 annis, donec venirent in regionem habitabilem, & ita euenit. Hoc enim

Manna veſcebantur donec venerunt ad oras regionis Chananææ. Nam vt particulatim circumſcribantur extremitates illorum 40 annorũ, de principio illorum eodem cap. Exo. fit mentio dum dicitur: *Quintodecimo die menſis ſecundi ab exitu populi ex Aegypto venerunt in deſertum Sinis, vbi ad ſedandum eorum murmur, Deus dedit primum Manna manducandum.* Et de fine *Ioſuæ* 5 ſcribitur: Filios Iſrael quum tranſmiſſo Iordane caſtra haberent in Gilgal, celebrârunt Paſcha 14. die menſis primi, (nempe Abib) exactis illis 40 annis veſpere in campeſtribus Iericho. Et comederunt ex fructibus ipſius terræ poſtridie Paſchæ, nempe azymos panes & toſta igne eo ipſo die. Ceſſauitque Manna, neque fuit deinceps filiis Iſrael Manna, ſed comederunt de prouentu terræ Canaan anno illo. Iam ex omnibus his locis inter ſe collatis euidenter ſatis patet totum temporis ſpatium à migrata Aegypto ad ſeptimum *Ioſuæ* annum fuiſſe annorum 46, nempe 45 annorum à miſſione *Calebi* ad ſpeculandam terram, qui fuit ſecundus ab exitu Aegypti. Quibus addendus exitus annus primus. Deinde conſtat ex Hiſtoriæ contextu annum illum ſextum *Ioſuæ* primum fuiſſe annum, in quo à bellis ceſſatum eſt, & requies terræ data: à quo tempore mandato Legis, Leuiticus 25. filii Iſrael ſua Sabbata annorum, & Iubilæa dinumerare incipiebant. Nam quod quidam hanc ſupputationem à morte *Moſis* inchoandã putauerunt, ratione caret. Quum *Moſes* expreſſè eos Sabbatarios annos obſeruari mandat, poſtquam populus ingreſſus eſſet in terrã promiſſam. Nam tunc (mandante Deo) ait. Quum introieritis in eam terram, quam ego do vobis, omnino quieſcito terra. Sabbatum eſt Iouæ. Sex annis ſeminabis agrum tuum: & ſex annis putabis vineam

vineam tuam, & colliges prouentum illius: Anno verò ſeptimo Sabbatum ceſſationis eſto ipſi terræ. Ergo neceſſe erat ab anno *georgias*, ſeu cultus ipſius terræ ſupputare annos Sabbaticos, & conſequenter ipſa Iubilæa. Quam enim terram coluiſſent Iſraelitæ, quum terram nondum vllam ad colendum poſſiderent: ſed terra adhuc ab hoſtibus eſſet poſſeſſa. Nam anno demum ſeptimo *Ioſuæ* agrorum cultus inchoabatur: A quo anno recta ratio poſtulat mandatum *Moſis* inchoandum, quo præcepit annos Sabbaticos & Iubilæos obſeruari. Nam quamuis (vt prius oſtendimus) eorum obſeruatio ab initio mundi petenda erat, ab illo populo tamen ante illud tempus ritè cuſtodiri non poterant. Similis eſt lapſus eorum qui 15 annum ipſius *Ioſuæ* pro termino inchoationis numerandi annos Sabbaticos & Iubilæos aſſignant, veteribus (neſcio quibus) Iudæorum chronicis moti: quibus aſſeri aiunt ſeptem annos in occupanda terra, & ſeptem in ea diuidenda conſumptos fuiſſe, poſt quos demum 15 anno populum, primum Iubilæum celebraſſe. Quum tum primum requiem conſecuti eſſent. Sed apertè reclamat Hiſtoriæ contextus, quem citauimus, ex *Ioſuæ 6.* cap. in fine, vbi ſtatim poſt datam poſſeſſionem *Calebo*, ſequitur, terram quieuiſſe à bellis. Ille autem (vt iam probatum eſt) erat annus ſextus regiminis ipſius *Ioſuæ*. Adhæc, etiamſi concederetur, terram ante 14 annum ingreſſus Iſraelitarum in eam, non fuiſſe perfectè omnibus tribubus partitam, abſurdum tamen eſt æſtimare terram illam toto eo tempore incultam remanſiſſe. Vnde enim, quũ in ipſo introitu ceſſaſſet Manna, ſuppeditata fuiſſet annona tam numeroſo populo niſi ex terræ ipſius fructibus? Nam partitionis dilatio cultui terræ non adeo obſtabat, quin prudentia *Ioſuæ*,

& aliorum populi Principum interim, vſque adperfectè peractam diuiſionem communi opera fieret ipſius tetræ *georgia* proximo poſtquam à bellis ceſſatum eſt anno. Quod (dubio procul) factum fuit anno ſeptimo ipſius *Ioſuæ*. Non minor eſt error in eo quod dicitur à quibuſdam, populum in deſerto 42 aut 43 annis hęſiſſe: quum 40 pręciſis annis in eo moram traxerint, vt ex locis Scripturę ſupra citatis liquidò poterit conſtare. Sit ergo fixum pro Sabbaticorum annorum tam retrò quàm porrò ſupputandorum fundamento, certaque Epocha hunc *Ioſuæ* ſextum annum aſſumendum, proque confirmatione noſtri de Sabbaticis annis calculi. Vt inde veram annorum Sabbatariorum & Iubilæorum deductionem, velut è promptuario eruamus. Ob quam ſcilicet cauſam, vt particulares huius ſextæ Periodi terminos & progreſſionis ſeriem inueniremus, hæc veluti prafari libuit. Nam annus iſte ſextus *Ioſuæ* index & character eſt omnium mundi annorum quorum numeratio per ſeptenarios procedit, & perfectam reddit ſabbaticam ſupputationem. Nam ab eo tam retrò quàm porrò examinantur omnes anni: ita vt omnium aliorum calculationes. Qui rem chronographicam tractârunt, vel tractaturi ſunt, quorum ſupputatio ad ſextum *Ioſuæ* collata, eum annum deprehendit non eſſe Sabbaticum, erronea ſit, & à recto calculo aliena. Erat autem is annus mundi (vt diximus) 2499, qui in ſe Sabbatarios annos à mundi origine 357, & Iubilęa 51 exactè continet. Eſtque magnæ Iudæorum Periodi, per quam ipſi Sabbatica tempora ſupputant annus 2310, & huius ſextę Periodi 49 qui vnum complet Iubilæum. A quo, ſexto *Ioſuæ* excluſo, Hebręi ſuos Sabbaticos annos & Iubilęa antiquitus numerauerunt. Quod non tantum ex ſacris Literis colligi

colligi poteſt: ſed & grauiſſimorũ ſcriptorum conſenſu confirmatur. Vnde conſtat (vt loquitur *Ioſephus Scaliger*) annos Sabbaticos ſigna eſſe temporum indubitata. Quod autem priſci Iudęi annos Sabbaticos & Iubilæa non tantum à tempore *Ioſuæ*, ſed etiam ab origine mundi ſupputaſſent, teſtis eſſe poteſt eorum Talmud, & *Elias* ille qui ætatem mundi ſex millibus annorum concludit. Fertur enim in Iudæorum monumentis eum à Rege Iuda interrogatum, reſpondiſſe mundum non habiturum pauciora 85 Iubilęis: extremo autem Iubilæo filium *Dauidis* (id eſt Chriſtum) venturum. Quamuis autem ex recto annorum calculo ad Chriſti natiuitatem ſint tantum Iubilęa 80, & quinque annorum Sabbata à mundi ipſius exordio, conſtat tamen hunc Iudęorum magiſtrum (quicunque is fuit, ſi propagationem regni Chriſti, & illius poſt reſurrectionem, manifeſtationem ſpectemus, à noſtro calculo, non multum aberrare, vel error aliquis in numeris tranſcribendis eſſe potuit. Vt ergo ad noſtrum inſtitutum redeamus, prior huius ſextę Periodi pars ab ætatis *Moſis* anno 77 ad 6 regiminis *Ioſuæ*, 49 annos, hoc eſt, vnum Iubilęum complectens ex antedictis perſpicua euadit. Nunc ſequitur poſterior à ſexto *Ioſuæ* ad finem huius Periodi, nempe mundi annum 2940, qui eſt regni *Solomonis* annus vndecimus, & conſummati templi operis annus. Nam anno vndecimo regni *Solomonis* completum fuit illud opus. De hoc ergo tempore deinceps agemus.

CAPVT.

Cap. X.

De altera parte ſexta Sabbaticorum annorum Periodi: quæ eſt à ſexto Ioſuæ *regiminis anno ad* 11 Solomonis *regis, hoc eſt, mundi annum* 2940.

Annorum Sabbaticorum ratio vt à mundi origine deducatur, quibuſdam videtur inſolens, propterea quod ante me pauci, idque paucis & ferè *parergos* meminerint de hoc perpetuo per eos annos habendo calculo. Verum ſi perpendatur diligentius cauſę quæ me ad eius generis ſupputationem impulerint, mirari deſinent, aut ſaltem æquiores futuri ſunt iudices. Quum enim inter Chronologos, non tantum veteres, ſed & noſtrorum temporum, tantam inueniſſem varietatem (ne dicam contrarietatem) de ipſo annorum mundi numero, & recto calculo, vt cui adhęreas, quemue ſequaris, neſcias, operepręţium me facturum exiſtimaui, vt poſt diligentiſſimos & eruditiſſimos *Ioſephi Scaligeri* labores, per hanc Sabbatariorum annorum dinumerationem, eorumque Periodos certiorem reperiam rationem, vt *deicticos*, quoad hoc in genere licet, mundi ipſius ętas continuata annorum progreſſio, & ſeries ad noſtra vſque tempora pateſiat & clareſcat. Nam quamuis inter omnes, quos hucuſque me legere contigerit, *Scaliger* ipſe exactiſſimus ſit temporum indagator, & cui ipſe plurimum debeo, qui quaſi facem mihi prætulit, vt in hoc progrederer argumento: tamen ille (vt homo

(vt homo fuit) (absit dicto inuidia) non omnia vidit, sed quędam posteris excutienda reliquit de recto annorum mundi calculo, cuius tamen vestigiis me inhærere ingenuè fateor. Et si quando ab eo recedo, salebræ & anfractus recti calculi me abducunt, vt diuersam & tutiorem amplectar viam, quantum autem præstiterim peritorum iudicio relinquo candidè excutiendum. Non enim mea mihi adeo placent, quin si quis meliora, in Ecclesiæ & Reip. literariæ vtilitatem adferat. & quæ probabilioribus nitantur rationibus libenter cessurus sim. Alii sunt quibus res non adeo magni momenti videtur exacta temporum mundi cognitio, vt in illis inquirendis anxiè quis laboret, seuè multum fatiget. Verum hi parum attentè Sp. Sancti in diuinis Scripturis diligentiam considerant, qui vsque adeo solicitus est ne pereat annorum & temporum ab ipso mundi exordio rectus calculus, vt vbi tempora particularia alioqui propter extraordinarias incidentes rerum vicissitudines confusa & perplexa apparent, vt sub Iudicibus Israelis (quum Rex aut ordinarium regimen in eo populo non esset: sed Deus illis, vt sibi visum fuerat, aliquando per plures, quandoque per pauciores annos, Gubernatores excitauit, qui illos è manibus hostium assererent & vindicarent: aliquando etiam propter eorum Idololatriam, aliaque scelera, Tyrannidi oppressorum, sine Iudice aut vindice, ad certum tempus commisit) vt is (inquam) suppleretur defectus, annorum seriem in summam vnam breuiter collegit, & cuius innotescendam reliquit. Quemadmodum in toto illo temporis interstitio, quod inter exitum Israelitarum ab Aegypto, & eorum templi ędificationem interceſſit, quum tandem sub *Salomone* Rege maximè florens illis esset Ecclesiæ

& Reipublicę ſtatus, annos in ſolidum tradit fuiſſe 480 qui ferè magnam (per quam nos ſupputamus) complent Periodum temporis. Quodſi non adeo neceſſaria fuiſſet horum annorum certa & accurata cognitio, diuinus ille Spiritus cuius afflatu librorum Regum ſcripta eſt Hiſtoria, & qui nunquam fruſtra aliquid molitur, non tam diligenti cura temporis illius totum interuallum tam exactè collectum poſteritati reliquiſſet. Ne nos ergo pudeat aut pigeat pro virili in hoc incumbere, & deſudare vt annorum omnium ſeriem, prȩcipuè temporum illorum quæ in ſacris traduntur Scripturis, ſerio & diligenter inueſtigatam ab errorum tenebris eruamus & vindicemus. Quod itaque ad prȩſens pertinet inſtitutum, expeditam habemus priorem huius ſextæ Periodi partem, in ſexto *Ioſuæ* regiminis anno definentem. A quo ad 11. regni *Salomonis* annum procedentes, vt particularius inueſtigemus annorum poſterioris huius ſextæ Periodi numerum, primo verba ſacræ Scripturæ recitabimus, quæ in Actis Apoſtol. cap. 13. per *Paulum* proferuntur in concione per eum habita in Antiochiæ Piſidiæ Synagoga, vbi poſtquam meminit, quomodo Deus aluit populum in deſerto, (vel potius tulit mores populi: nam græcè *hetropophóreſe* ſcribitur) quadraginta annis. Et poſtea perdens ſeptem populos in terra Canaan, Dedit (inquit) eis terram eorum in hereditatem, & quaſi 450 annis dedit eis Iudices vſque ad *Samuelem* Prophetam. Et tunc petierunt ſibi Regem, & dedit eis *Saulem* filium *Cis*, hominem ex genere *Beniamin* annus 40. Et ſuſtulit eum, & dedit eis *Dauidem* regem, &c. Hìc magna oritur quæſtio & difficultas ex his *Pauli* verbis, quonam ſcilicet modo numerandi ſunt hi anni 450 Iudicum: & vnde ſumendum ſit horum initium, vt quadrent

drent ad numerum 450 annorum qui ſatis expreſſè 1. Reg. 6. ponuntur inter exitum populi ab Aegypto & quartum *Solomonis* annum quo cęptum eſt ędificari Dei Templum. Nam ſi annos illos 450 à *Paulo* expreſſos inchoemus à Iudicibus, quos poſt *Ioſuam* Deus ſuo populo ſuſcitauit, vel etiam à ſexto anno ipſius *Ioſuæ* longè plures reperientur anni ab exitu populi ex Aegypto ad inchoatum Templi ædificium quam illo illuſtri 1. Reg. 6. loco ſunt expreſſi. Hunc nodum variè varii ſoluere conati ſunt. Quidam enim vulgatam Latinam noui Teſtamenti tranſlationem ſecuti: vbi ſic ſcribitur: *Et per 40 annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto, & deſtruens gentes ſeptem in terra Canaan, ſorte diſtribuit iis terram eorum quaſi poſt 450 annos* (atque ibi punctum ſtatuunt) dehinc ſequitur, *& poſt hæc dedit Iudices vſq; ad Samuelem Prophetam.* Ex eo loco malè tranſlato colligunt annos illos 450 à *Paulo* poſitos, retro ab *Iſaac* numerandos vſque ad debellatas à *Ioſua* gentes Canaan: ſed manifeſtè repugnat Græcus contextus, vbi legitur: ὡς ὅτι τεσσερακοντα ετῆ χρόνον ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ χαναὰν, κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, ὡς μετὰ τοῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως σαμουὴλ τοῦ προφήτου. Vbi videmus punctũ ante ὡς μετὰ τοῦτα poſitum diſtinguere ſequentia verba á præcedente ſententia, ita vt dictio (poſt) quę bis ponitur in ea tranſlatione, priore loco non poſſit referri ad præcedentes aliquos 450 annos, quum μετὰ τοῦτα ſemel tantum in ipſo contextu Græco poſitum præcedat illos annos. Ideoque ex falſa illa tranſlatione nihil colligi poteſt. Alii colligunt numerum 450 annorum Iudicum per eorum annorum numeros quibus ſinguli dicuntur iudicaſſe Iſraelem, & præterea addunt annos quibus oppreſſi ſunt ab extraneis tyran-

nis, & annos Iudicum ab *Othniele* inchoantes inueniunt esse 299 vsque ad *Samuelem*: annos autem oppressorum centum & vndecim; qui numeri iuncti faciunt 410 annos, quibus additi 40 anni *Eli* constituunt pręcisum illum 450 annorum numerum. Quod quidem probabili non caret ratione *Paulum* secundum vulgatum numerandi modum tunc à Iudęis obseruatum hos 450 supputasse annos: quia tamen hoc modo numerando magnus est annorum excessus, exorbitans à vero annorum mundi numero, 1. Reg. 6. collecto ab egressu Aegypti ad templi Solomonici inchoationem: alii annos Iudicum à *Mose* incipiunt, qui primus iudicauit populum Israel, eique tribuunt 40 annos: deinde *Iosuæ* 17 annos, *Othnieli* 40. *Ehud* & *Samgari* 80. *Deboræ* & *Barac* 40. *Gedeoni* 40. *Abimelecho* 3. *Tolai* 23. *Iairi* 22 *Iphtæ* 6. *Ibsani* 7. *Eloni* 10. *Abdoni* 8. *Simsoni* 20. & *Eli* 40 annos, qui anni simul collecti constituunt annos 396: sed excluso *Mose* annos tantum 356. Sed quia numerum in contextu Actorum Apostolorum positum non attingunt, putant Gręcam Scripturam librariorum errore in numeris vitiatam, & pro τετρακοσίοις ab initio à *Luca* scriptum fuisse ὡς ἔτεσι τριακοσίοις καὶ πεντήκοντα hoc est, annis ferè trecentis quinquaginta. Quorum opinioni & sententiæ ego potius accedo. Nam quod sex anni superant enim numerum in suprapposito Iudicum post *Mosem* annorum catalogo, per aduerbium ως, vel ferè excusari potest, quod omissis sex, integer vel rotundus numerus à *Paulo* sit positus. Non damno tamen eorum opinionem, qui numerum 450 annorum, per annos tam Iudicum, quam oppressorum dinumerari posse putant; modò intelligamus reuera sub annis Iudicum, annos oppressorum connumerandos esse, vt rectus annorum mundi constituatur

tuatur calculus, idque per compositionis regulam de qua ante diximus. Itaque meo iudicio mallem ęstimare τριακοσίοις pro τετρακοσίοις in contextu Actorum reponendum. Nam quod ad sex aut septem annos attinet qui superant integrum 350 annorum, simile habemus exemplum etiam in Iudicum libro cap. 11. vbi *Iphta* Dux & Iudex Israel, obiicit Regi Ammonitarum trecentorum annorum possessionem terrę ad sua tempora, à tempore exitus Israelitarum ex Aegypto, quum essent ex iusto calculo superantes amplius quinque aut sex anni, qui per Eclipsin omittuntur. Alias difficultates (quantum memini) non habemus: quin expeditum habeamus alterius huius sextæ Periodi annorum computum, quæ in regni *Solomonis* vndecimo terminatur. Annus autem ille vndecimus in quo finita est Templi structura, etiam à *Iosephi Scaligeri* computo Sabbaticus fuisse deprehenditur, saltem ex parte. Nam quod ille annum duodecimum *Solomonis*, quo facta sunt encęnia Templi, Sabbaticum fuisse dicit, etiam ex parte verum est. Cæpit enim annus ipse Sabbaticus à septimo, & mense octauo, *Bul* dicto, completum est Templi ædificium; qui erat *Solomonis* annus vndecimus, & anno duodecimo ipsius *Solomonis* completus erat annus ille Sabbaticus: ex quo apparet *Scalegerum* annum Sabbaticum à Ianuario, & non à septimo mense pręcedente numerasse, eodem quo ego modo vt plurimum numero, propterea quod maior pars anni Sabbatici à Ianuario nostri anni initio (vt supra dictum est) procedat. Cæptum est autem Templi structuræ opus mense *Zif*, (etiam אייר appellato) qui erat secundus ab Abib, primo mense Dei instituto facto. Cæterum quocunque mense *Solomon* regnare cęperit, certum est anno illius vnde-

cimo menſe illo octauo, טו dicto, abſolutam fuiſſe templi ſtructuram: qui fuit à ſexto *Ioſua* annus 441, quibus additi tres vltimi anni ante exitum Iſraelitarum ab Aegypto, fiunt anni 444. Et his demum additi 46 ab exitu ad ſextum *Ioſua* conſtituunt hanc ſextam integram 490 annorum Periodum. In quo temporis interſtitio maximè memorabilia quæ inciderunt, ſunt miranda illa Hebręi populi ab Aegyptiaca ſeruitute liberatio. Illorumque in terram à Deo promiſſam *Ioſua* Ducis miniſterio introductio: vt Deus eorum Patribus promiſerat, deletis robuſtiſſimis Gygantibus terræ Canaan incolis. Deinde illius populi, ſub Iudicibus guberratio; vbi rerum ſtatus erat valde inſtabilis. Nam populus ille præfracte ceruicis ſubinde in Idololatriam pronus in proſpero rerum ipſarum ſtatu, verum & purum Dei cultum per ipſius legem *Moſis* miniſterio inſtitutum, leuibus de cauſis negligere & deſerere ſępenumero ſolitus, iram in ſe magni illius Legiſlatoris Dei, prouocare non deſtitit. Ex altera parte magnam illius clementiam & *macrothumian* (quam *Paulus tropopheriam* appellat) perſpicere licet. Qui quamuis ad ipſos caſtigandos ſępè ferulis & hoſtium inuaſione eos opprimi paſſus eſt, miſericordia tamen iudicium temperans ipſis excitauit Prophetas, quorum opera ad pœnitentiam reuocatis, Iudices excitauit, qui hoſtium vim reprimerent, & illos, qui inter eos ſanabiles erant ab ipſius Iudicii ſeueritate eximerent. Quod & modò facit. Nam mundus in malitia, ſemper ſui ſimilis eſt: imo & poſteriora deteriora eſſe tempora ſubinde experimur. Hic etiã in *Saulis* reiectione & *Dauidis* in regem electione, ipſiuſq; filii *Solomonis* in regnum ſucceſſionis, regnorum Periodum & mutationẽ euidenti exemplo deprehendere licet. Quod hic prudentibus diſcutiendum relinquo.

CAP.

Cap. XI.

De ſeptima Sabbatariorum annorum Periodo, quæ à mundi 2940. *ad eiuſdem* 3430 *annum extenditur.*

Equitur ſeptima Sabbaticorum annorum omnium perfectiſſima Periodus ab origine mundi anno 2940 ad eiuſdem 3430 extendens, in quo interuallo & temporum digeſtione, firmiorem adhuc de Sabbatariorum annorum enumeratione è S. Scripturis commonſtratam viam ingredior, in qua Sabbata ipſa annorum, & Iubilæa à ſexto *Ioſuæ* anno ad initium *Cyri* Perſarum regis Monarchiæ recta ſerie inueſtigabimus, quonam ſcilicet modo conueniat hæc cum ſuperiore Periodo, pro annis ſabbaticis exactiſſimè ſtabiliendis: hanc inchoando ſeptimam Periodum, à duodecimo *Solomonis* regis anno, & eandem in vltimum captiuitatis Babylonicæ annum terminando. Sumatur ergo pro fundamento huius calculi *Ieremiæ* Prophetę in capitis 28 principio, narratio, vbi ego, & ante me alii multi, ſic interpretamur contextum ad verbum: *Et factum eſt in anno illo in principio regni Zedechiæ regis Iuda, in anno quarto in menſe quinto, locutus eſt ad me Ananias filius Azur Propheta, &c.* Per quæ verba quæ in ſe ſatis clara ſunt, nos intelligimus. In primo anno *Sedechiæ*, & in quarto anno Semitæ (hoc eſt) anni Sabbatici, Pſeudoprophetam illum

Ananiam

Ananiam ſe oppoſuiſſe *Ieremiæ* Prophetę eiuſque vaticiniis. Mirumque mihi eſt, quomodo *Immanuel Tremellius* vir alioqui Hebraicę linguæ multum peritus, (quem inuitus hic nominare cogor) in priore Bibliorum verſione ita tranſferat, vel potius transformet verba ipſius contextus, dum ita vertit, ab anno illo principio regni *Sedechiæ*, vſque ad quartum annum illum menſe quinto. *Allocutus eſt me Hananias, &c.* In poſteriore autem *Iunii* editione aliquanto propius ad literam vertitur. Quum fuiſſet anno illo, & in principio regni *Sedechiæ* regis Iuda anno quarto. Vbi tamen copulatiua particula: &, prętер contextum additur: quas interpretationes, (pace tantorum virorum) dico potius obſcurare & inuoluere Prophetę ipſius verba quam interpretari, dum primum *Sedechiæ* annum cum quarto confundunt. Et prior interpretatio, pro in anno illo principii regni *Sedechiæ*, ab anno illo, & pro in anno quarto, vſque ad annum quartum vertit, valde nouum eſt & inauditum, vt vbi Hebręa habent בהחיא ברשית ממלכת צדקיה מלך יהודה בש גת הרביעית בחדש ויהי בשנה חחמישי pro בשנה in anno על שנת vſque ad annum ponatur, vel à vel ab pro in (quum potius contrariæ ſit ſignificationis) vertatur. Nam quod ille pro ſimili adducit locum, 1. *Sam.* 18. vbi dicitur, ורבקיר אבת בדרך: hoc eſt, feriam in *Dauid* & in parietem: vel ſi ad ſenſum tranſferatur, Percutiam vel tranſfigam *Dauid* in parietem. Verba ſunt *Saulis* regis, ſed *ouden pròs epos*. Quid enim hoc ad ſupra poſitum *Ieremiæ* locum? Nam illic de loco, hic de tempore fit mentio. Et illud in *Dauid* & in parietem, non poteſt rectè, nec ad verba, nec ad ſenſum exponi, à *Dauid*, & in parietem, vel vſque ad parietem. Vt nec illud, ab anno pro, in anno, poni. Mirum

(inquam)

(inquam) mihi videtur hominem Iudæum origine, tamque in sua lingua eruditum, nec hoc loco, nec eiusdem *Ieremiæ* 34 capite, vbi de dimissione seruorum agitur, in suis annotationibus, vllam de anno sabbatico facere mẽtionem, quum non dubium sit eo 34 cap. Prophetam ad legem de seruis septimo quoq; anno dimittendis latam 25. Leuit. habere respectũ. Sed nos pro certo statuamus, de annis illis sabbaticis Prophetam nostrum loqui tam hoc quam illo loco, vt clarum fit, si respiciamus ipsius Prophetæ tempora. Sensus itaq; verborum Prophetæ est: anno primo *Sedechiæ* regis Iuda initio regni ipsius in anno 4. Sabbatarii anni (qui anni שמטה Semitæ Hebræis dicti sunt) mense quinto, allocutum fuisse *Ananiam*, *Ieremiam* Prophetam. Vbi absolutè annus ille quartus non ad *Sedechiæ* regnum refertur, sed ad anni sabbatici quartum annum. Nam ita è vero annorũ calculo quartus *Sedechiæ* annus reperietur esse Sabbaticus, vtpote distans & præcedens, primum ipsius regni annum annis quatuor. Sed adhuc remouendus est scrupulus quem pretendunt, vt quartus ille annus qui cap. 28. Prophetæ expressus est, de annis *Sedechiæ* intelligatur, dum ex præcedente 27. capite colligunt, in cuius initio mentio fit principii regni *Ioachim Iosiæ* regis filii, quo tempore factum fuit Verbum Domini ad *Ieremiam* de iugis illis seruitutis omnibus circumuicinis regibus mittendis, vt se Babylonio regi submitterent. Dicunt enim continuatam esse Prophetiam 15. annorum, qui ad quartum *Sedechiæ* annum extenduntur. Sed ex narrationis ordine liquet, Verbum quidem Domini in principio regni *Ieoiachim Ieremiæ* fuisse reuelatum: sed declaratum & expressum tandem, *Sedechiæ* regni anno primo. Vt ex eiusdem 27. capitis vers. duodecimo, &

sequentibus liquidò apparet. Ideoque sequentis cap. initio dicitur. Anno illo primo in principio regni *Sedechiæ* (non quarto) Pseudoprophetam *Ananiam* se Prophetæ *Ieremiæ* opposuisse: & quæ sequuntur. Vbi non dubium est Prophetæ hunc locum de quarto anni Sabbatici, & non de anno quarto *Sedechiæ* regis loqui, nec quartum Regis annum cum anno primo & principio regni eius confundere. Quod vt clarius innotescat & ostendatur, vtrumque *Ieremiæ* Prophetæ locum, tam istum ex cap. 28. citatum, quàm alterum qui ex capite 34. deducitur se mutuo corroborare, vt perspicuè intelligatur de Anno Sabbatico fieri narrationem, paulo altius repetenda sunt Prophetæ ipsius *Ieremiæ* verba quæ cap. 34. continentur, vt intelligamus ibidem eum vrgere intermissam Sabbaticorum annorum obseruationem. Acriter enim inuehitur in regem *Sedechiam*, & populi primores, quod quum à Chaldæis premerentur, monituque ipsius Prophetæ secundum legem à *Mose* datam seruos libertate donassent, ipsos mox postea in seruitutem retrahebant. Nam fœdus pepigerat cum populo rex *Sedechias* de seruis libertate donandis. Idque in domo *Ionæ*, cui auscultabant omnes principes totusque populus: sed cito ab eo recesserunt. Ideoque fuit verbum *Ionæ* ad *Ieremiam* Prophetam, dicendo: Ego pepigeram fœdus cum patribus vestris, quum eduxeram eos de terra Aegypti, dicendo: In fine septem annorum dimittite quisque fratrem vestrum Hebræum qui se vendiderit tibi, postquam sex annis tibi seruierit: dimittito eum liberum abs te. Sed non auscultauerunt Maiores vestri, neque inclinauerunt aurem suam mihi. Reuersi quidem vos hodie feciſtis, quod rectum videbatur in oculis meis promulgando libertatem, &c. Sed rursus profanastis

fanaſtis nomen meum recipiendo quiſq; ſeruum ſuum & ancillam quos dimiſeratis liberos, &c. Idcirco ſic ait *Iouæ*: Ecce ego promulgo contra vos libertatem, dicit *Iouæ*, gladio peſti & fami, & tradam vos commotioni apud omnia regna terræ, & reliqua quæ ſequuntur. Vnde manifeſtò patere poteſt, Prophetam ibi de Sabbaticis annis agere, quorum non ſolum à Iudæis, qui tum viuebant, ſed etiam ab ipſorum maioribus neglecta erat obſeruatio. Certumque eſt Prophetam, ipſum *Sedechiam* ea de re commonuiſſe, idque anno ipſius regni vndecimo, aut circiter anni decimi medium, nempe menſe ſeptimo, quum annus Sabbaticus inchoaretur. Sed illi non antea huic obſeruationi aſſueti, quamuis principio metu imminuentis à Chaldæis periculi annuebant, breui tamen pœnitentia ducti ſua mancipia rurſus ſeruire cogebant. Propterea, Vates maximas illis plagas & calamitates euenturas prædicit. Quod autem intermiſſa erat Sabbaticorum annorum obſeruatio, ad multos retrò annos ante *Sedechiæ* tempora ſatis etiam ex ſacris Scripturis conſtare poteſt. Nam propter omiſſam Sabbatariorum annorum obſeruationem quum pacifice in ſua terra Iſraelitæ habitarent, hanc ipſis pœnam fuiſſe irrogatam teſtatur Scriptura, 2. Paral. vltimo, vbi ſcribitur, Hęc facta erant vt adimpleretur verbum Domini per os *Ieremiæ* (vbi de deſolatione Ieruſalem ante facta eſt narratio) donec abſolueret terra Sabbata ſua, omnibus diebus deſolationis quieuit complendo ſeptuaginta annos. Ad Legis comminationem (dubio procul) habito reſpectu, vbi dicitur, Terram Iſraelitarum ob delicta, deſolatam reddendam, abſoluturamque Sabbata ſua, quum deſolata illis eſſet, ipſoſque pœnam iniquitatis ſuæ exoluturos. Atque hæc adimpleta ſunt, quum

ipſa terra vacua cultoribus cogeretur totis illis 70. annis continuum agitare Sabbatum. Et verum eſt Sabbatariorum annorum longo tempore ab illo populo intermiſſam fuiſſe obſeruationem, & eorum paruam aut nullam in ſacris Scripturis fieri memoriam: niſi eo trahatur (vt Iudæi faciunt) *Iſaiæ* vaticinium de ſigno quod dedit ille *Ezechiæ* regi Iuda, de liberatione à *Senacherib*, & ipſius exercitu. Quod certè fieri poteſt, ſi annum *Ezechiæ* decimum quartum pro anno Sabbatico (vt ex parte fuit) accipiamus: intelligamuſque *Ezechiam* ipſum regem, alioqui pium religionis reformatorem, Sabbatariorum annorum vſum ſuo tempore reſtituiſſe. Quamuis alii duos illos annos à Propheta expreſſos, quibus Iudęorum terra quieuit, & populus ex ſponte ſua natis fructibus comedebat, de annis illis intelligant quibus hoſtes terram depopulati, eam quominus coleretur, impediebant: quam, anno demum tertio, hoſtili metu remoto, ex oraculi prędictione eſſent culturi. Sed vtrumq; conſtare poterit, vt & alter horum annorum ſabbaticus fuerit ex vſu per pium regẽ redintegratò obſeruatus, & interea hoſtium incurſu vtroque anno iacuerit inculta. Cęterum, vtcunque hęc accipiamus, quantum è S. Scripturis licet colligere, verum apparet, maxima ſaltem ex parte, intermiſſum fuiſſe annorum Sabbaticorum vſum & obſeruationẽ, toto illo tempore regum, non tantum Iſraelis, ſed etiam Iudæ. Quod maximè accidit poſt regni Iſraelis à Iuda diuulſionem. Nam non tantum ſub *Ieroboamo* omiſſa erat à decem tribubus, legis Moſaicæ obſeruatio: ſed etiam, ſicut ſcriptum eſt, *Roboam* rex Iuda poſt tres annos regni ſui quum illud ſtabiliuiſſet, reliquit legem Iouę, & totus Iſrael cum eo: propterea non mirum eſt, ſi ſeptenariorum annorũ obſeruatio, & libertatis

Iſa. 37.

2. Paral. 12.

tatis ſeruorum, ſeptimo quoq; anno promulgatio ſecundum legem neglecta fuerit & intermiſſa. Et quamuis aliquot bonos reges in Iuda ſuſcitaret ſubinde Deus, qui veræ & puræ religionis inſtaurationem molirentur, & ex parte præſtiterint, idololatricos abolendo cultus, ea tamē erant tempora, vt multa in illo præfractę ceruicis populo omittere coacti fuerint, quominus Moſaicę legis perfecta obſeruatio reſtitueretur. Nam & Paſchatis & aliorum feſtorum dierum ritus ſimili ratione neglectus & intermiſſus colligitur ex eo quod 2. *Paral.* 30. de *Ezechia* rege ſcribitur, illum demum ſuo tempore feciſſe vt Paſcha celebraretur, qualis ſolennis celebratio non fuerat Ieroſolymis à diebus *Solomonis* regis Iſraelis. Et eiuſdem lib. cap. 35. de *Ioſia* rege habetur, illum 18. anno regni ſui celebraſſe Paſcha magno apparatu, quale non obſeruabatur à diebus Iudicum & *Samuelis* Prophetę. Quod ſi ſic Paſchatis obſeruatio, quod præcipuum ex Iudæorum ſolenniis erat, ita fuerat intermiſſa, minus mirandum eſt ſeptimi cuiuſque anni nullam interea ſecundum legem habitā rationem, maximè cùm liber ipſe legis magna Iudęorum ſocordia & ſupina negligentia eſſet deperditus, & in obſcuro aliquo angulo ipſius templi *Ioſiæ* optimi principis tempore repertus. Vnde etiam colligere licet toto ferè tempore huius ſeptimę Periodi neglectam fuiſſe ſabbatariorum annorum obſeruationem. Nunc ergo vt annos huius Periodi per partes digeramus: quę à duodecimo *Solomonis* regis inchoata in ipſum vltimum captiuitatis Babylonicæ annum deſinit: primum ſumamus in genere totum tempus: à quarto *Solomonis* anno ad vltimum *Sedechiæ* regis, qui erat illius annus 11. & inuenie-mus fuiſſe annos 427. non tantum à R. *Abram* Iudæo cabaliſta; ſed etiam à noſtris ſcriptoribus diligenter obſer-

uatos; à templi primi ſcilicet inchoato ędificio ad ipſius per Chaldęos euerſionem. Quod ſi demantur ſeptem anni qui templi ſtructuræ aſſignantur, reperiemus ab vndecimo anno regis *Solomonis*, ad vndecimum vltimi regis *Sedechiæ* annos eſſe ab initio huius Periodi 420: Quibus ſi addantur 70 captiuitatis anni, completum exhibent huius Periodi, nempe 490 annorum, numerum. Huiuſque ſeptimę Periodi anno ſexageſimo completur tertius mundi millenarius, media ipſius ætas reputatus. Poſt quem ter mille annorum numerum paucis annis exceſſit *Elias* celebris ille Prophęta in cœlum raptus, vt futuræ piorum immortalitatis teſtis eſſet. Definit autem hic tertius millenarius in Aſæ Regis Iudęorum annum vndecimum. Quod ſic per particulares Regum Iuda annos quibus regnarunt, deducimus: *Solomon* ab illius vndecimo anno, completo templo regnauit annis 29. *Roboam* annis 17. *Abia* tribus: quibus additi vndecim *Aſæ* regis efficiunt ſexaginta completos ab huius Periodi initio, & à mundi exordio ter mille annos. In quo temporis interſtitio maxima incidit Hebræorum reipub. mutatio, quum ob permiſſam à *Solomone* Idololatriam, Dei iuſta ira facta eſt decem tribuum à reliquis duabus ſeceſſio: erectique noui Idololatrici cultus, non tantum ab *Ieroboamo* decem illarum tribuum Rege: ſed etiam, vt ſcriptum eſt, 1. Reg. 14. cap. Fecit Iuda quod malum viſum eſt in oculis *Iouæ*, & ad zelotypiam mouerunt eum peccatis ſuis, quibus peccârunt ſupra omnia quæ fecerant Maiores eorum. Nam extruxerunt etiam ſibi ipſi excelſa, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem altum, & ſub omni arbore virente etiam meritorii erant in terra ipſa, & inſuper faciebant ſecundum abominationem gentium quas eiecerat Iouа à facie Iſraelitarum.

tarum. Idque ſtatim poſt ſciſſum regnum inchoatum eſt, quum (vt dictum fuit) *Roboam* non diu poſt initium regni ſui, quum confirmatum ſibi eſſet Iudæ regnum relinqueret legem Iouæ, & totus Iſrael cum eo. Vſque adeo rarum eſt ſincerum Dei cultum in aliquo regno diu perſeuerare.

CAP. XII.

De altera parte ſeptimæ Sabbatariorum annorum Periodi, quæ à mundi ter milesimo anno, ad eiuſdem 3430 annum prorogatur.

SEquitur altera pars ſeptimę iſtius Periodi, in qua per continuos regum Iuda annos, annorum mundi & huius Periodi fit ſupputatio. Diximus autem ſupra annum vndecimum *Aſæ* regis Iuda cum mundi anno ter milleſimo coincidere. Ab eo ergo porro numerando ex *Aſæ* 41 annis quibus regnauit, ſuperſunt triginta anni. Poſt quem *Iehoſaphat* per ſe regnauit annis 23, *Ioram* 8, *Ahazias* vno anno, *Athalia* 6, *Ioas* annis 40, *Amaſias* 29, *Azarias* 52, *Iotham* 16, *Achas* 16, *Ezechias* 29, *Manaſſes* 55, *Amon* 2, *Ioſias* 31, *Ioachim* 11, *& Sedechias* 11 annis. Summaria collectio horum annorum ad 360 extenditur. Et additis 70 captiuitatis faciunt annos 430, finemque huius Periodi qui eſt mundi 3430 annus. De horum annorum enumeratione nulla in qua inſiſtamus, eſt dubitatio, donec ad *Ioſaphati* annos deueniamus. In huius autem annis vltimis quæſtio eſt. Nam quamuis Scriptura

annos

annos 25. illius regno tribuat, nos tantum 23 in annorum ipsius catalogo ponimus. Ratio est, quia 2. *Paralip.* 21. scribitur, *Iosaphatum* adhuc superstitem, quum aliis ipsius filiis dona & ciuitates dedisset, regnum *Ioramo* tradidisse, quia erat primogenitus. Et 2. *Reg.* 8. habetur, (vt rectè interpretatur *Tremellius*) anno quinto *Ioramí* filii *Achabi* regis Israelis, quum *Iosaphat* esset rex Iudæ, regnare cœpit *Iorám* filius *Iosaphat* rex Iudæ. Et 2. Reg. 3. scriptum est, *Ioramum* filium *Achabi* regnasse supra Israelem in Samaria anno 18. *Iehosaphat* regis Iuda. Ex quibus locis inter se collatis, colligimus, *Iosaphatum* biennio saltem ante eius obitum, *Ioramum* filium suum simul cum ipso regem constituisse. Ita vt quinque anni regni alterius *Ioramí* regis Israel inchoentur, desinente decimo-octauo anno *Iosaphati*, & compleantur 23. illius anno, quum regnum filio *Ioramo* tradidit. Itaque octo illi anni quibus dicitur hic *Ioramus* regnasse ab illo 23. patris completo sunt inchoandi. Quamuis etiam pater *Iosaphat* superstes illis duobus postremis annis (cum filio) regnasse dicitur. Nam non insolens erat etiam apud profanas gentes filios cum patribus simul quandoque regnare. Cæterum quod à quibusdam çstimatur *Ioramum Iosaphati* filium pluribus annis, patre viuente, regnum tenuisse, fieri quidem potuit, vt quum pater in bellum proficiscceretur, regiam potestatem (vt moris apud alias nationes fuit) filio delegaret: Sed redeunte patre æquè verisimile est, filium ipsum regium honorem patri restituisse & resignasse: propterea que in annis regni ipsius filii hos intermedios annos non esse numerandos. Proximus scrupulus qui alicuius momenti mihi videtur, est, de interregno quod asserunt inter *Amasiam* & *Azariam* seu *Vsiam* reges intercessisse. Quod alii 10, alii 11,

alii

alii 12. annorum ponunt. Causa quę illos mouet ex collatione annorum Regum Israelis cum Regibus Iuda oritur. Quia scilicet anno decimoquinto *Amasiæ* Regis Iuda, dicitur 2. Reg. 14. & 15. *Ieroboam* secundus rex Israel regnasse, idque vno & quadraginta annis, & deinde scribitur *Vssiam* filium *Amasiæ* anno 27. *Ieroboami* Regis Israel regnasse : eumque sedecim annorum fuisse, quum regnare inciperet. Vnde colligunt id consistere non posse, vt *Ieroboam* ille 15. anno *Amasiæ* regnare incipiens, tantum annis quatuordecim cum *Amasia* regnauerit, (nam is solummodo 29 annis regno præfuit) & eius filius *Azarias* anno 27 *Ieroboami* regnum inierit, nisi interponantur anni decem, aut plures interregni inter *Amasiam* & *Azariam*. Sed hic nodus, qui adeo difficilis solutione illis videtur, nisi interregno locum demus, facile diluitur, si contextum Hebraicum diligenter expendamus : sic enim habet, עזרוה בן-אמעיה בשנת עשרים ושבע שנה לירב מלך יהודה עם מלך ישראל מלך Hoc est ad verbum : Anno vicesimo septimo, scilicet, *Ieroboami* regis Israel, regnauit *Azarias* filius *Amasiæ* Regis Iuda. Vbi illi מלך regnare cœpit, pro regnauit, vel regnum administrauit, interpretantur. Fatendum quidem verbum מלך pro regnare inchoauit in libris Regum, & Παραλειπομένων quandoque accipi. Sed æquè verum est, non semel idem verbum pro regni administratione, & non eius principio, vel anno in quo initur accipi. Vt hoc loco sensus est : annum fuisse 27 *Ieroboami* Regis Israel, quum regnaret (hoc est, per se ritè regnum gubernaret) *Azarias* Rex Iudæ. Sicque rectè interpretatur *Tremellius*. Innuit enim Scriptura tempus illud quo *Azarias* adhuc per seipsum regni gubernacula tenuit, antequam percussus erat

2. Reg. 15.

lepra, propter temerarium templi ingreſſum, & ſacerdotii inuaſionem; & priuſquam magiſtratus functione abdicaretur, & *Iotham* filius illius loco regni adminiſtrationi præpoſitus fuiſſet: Illo ſcilicet tempore fuit 27. annus regni *Ieroboami*. Nec hæc loquendi forma rara eſt. Alibi enim ita vſurpatur verbum מלך, vt quum dicitur, 2. *Samuel*. 8. Et regnauit *Dauid* ſuper totum Iſraelem, & erat faciens iudicium & iuſtitiam vniuerſo populo ſuo. Vbi non de initio regni *Dauidis*, ſed de tempore quo pacificè regni gubernationem exercebat, fit ſermo. Similiter de *Solomone*, poſtquam ducta *Pharaonis* regis filia in regno iam eſſet ſtabilitus dicitur. Et erat rex *Solomon* rex ſuper totum Iſraelem. Et apertius de *Ioſaphat* & filio *Ioramo* ſimul regnantibus, 2. Reg. 8. cap. Anno quinto *Iorami* filii *Achab* regis Iſrael, & *Ioſaphati* regis Iuda, מלך *Ioram* regnauit filius *Ioſaphat* rex Iuda. Præterea, vbicunque fit collatio annorum regum Iſrael cum regibus Iuda; vt plerunque fit, quum de completis annis intelligitur, non rectè interpretamur aliquem regem Iuda tali anno regis Iſrael cępiſſe regnare, (quamuis communis verſio ſic habet) ſed potius ab anno illo regnaſſe, vt bene obſeruat *Tremellius*. Exempla ſunt 1. Reg. 15. 9. 2. Reg. 13. & 14. 1. & 15. ter aut quater. Atque alibi ſæpe. Occurrunt & alia in libris Regum, & Paralip. quæ lectorem in annorum enumeratione remorari poſſunt, quum annos vtriuſque regni Iuda & Iſraelis contulerit. Sed per annos Regum Iuda ſemper ineundus eſt calculus. Nam eum ex eorum linea & deſcenſus progreſſu ſupputetur *Dauidis* & Chriſti genealogia, hinc etiam dependet rectus annorum mundi catalogus. Et quod ad ſcrupulos attinet, qui ex annorum alterius regni enumeratione ſurgere poſſunt,

possunt, si regulas ab *Ioanne Functio* in sua Chronologia traditas obseruemus, satis facilè eximuntur. Quarum prima est: qui plerunque ponuntur, annos vltimos Regum Iuda & Israel non intelligendos vt completos, sed eorum quosdam vix menses aliquot complecti, quosdam verò solum inchoatos. Etiam addere potuisset, plerunque ab annis perfectè completis, aliorum annorum non completorum fieri collationem & dinumerationem. Secunda regula est. Regem patrem bello occupatum extra regni fines proficiscentem, plerunque filium suo loco Regem substituere. Cui affinis est tertia. Quandoque fieri, quum Rex senio confectus, vel morbo correptus, vel alio modo impeditus regno præesse non possit, filium quem velit successorem Regem creet, vel regni habenas ei tradat. Ac tum filius vel successor verè regnare dicitur, & anni quibus sic regnauerit, etiamsi adhuc viuat pater, filii regno ascribantur: sic vtvterque simul regnet. Quarta Regula est, Quod quandoque fiat, vt patre rege mortuo, filio ad regni administrationem præ ætate immaturo, regnum interea per potentes regionis illi, donec adoleuerit, conseruetur incolume: Anni tamen ei cui seruatum est regnum, ascribantur Quinta Regula habet, nonnunquam vsuvenire, vt regno Israelis à tyrannis diuexato, & à nullo certo Rege administrato, tempus illud in Sacris literis non esse relatum, donec alius consurgat Rex à quo anni Regni sunt supputandi. Qui intermedii anni ex annis Regum Iuda, absque omni detrimento temporis colligi poterunt, quamuis interdum secus accidat, vt anni tam tyrannidis quàm Regni vni ascribantur. Ex his Regulis (vt ille ait) multarum quæstionum penderit solutiones, nec multum à

vero aberrat. Cæterum pro noſtri calculi in hac Periodo exactiore confirmatione *Ezechielis* Prophetæ ca. 4. Memorabilem illam habemus reuelationem, qua verbo Iouæ miſſus eſt ille, vt ſub typo ciuitatis Ieroſolymæ deſcriberet obſidionem, ſimulque vt onus ferret iniquitatum domus Iſraelis & domus Iudæ: pro domo ſcilicet Iſraelis, vt ſuper latus ſiniſtrum incumberet per 190. dies. Ego (inquit) do tibi annos iniquitatis illorum in numero dierum 390. dies quibus feres iniquitatem illorum: Quumque abſolueris eorum partem, lateri tuo dextero ſecundo incumbes, & ferto iniquitatem domus Iuda 40 dies, diem vnumquemq; pro anno do tibi. Dies illi 390 pro annis totidem accepti, (omni controuerſia remota) quibus ferendæ erant iniquitates domus Iſrael, per rectiſſimam expoſitionem à tempore defectionis *Ieroboami* primi Regis decem Tribuum inchoandi ſunt: quum ſcilicet ille peccare fecit Iſraelem magno illo Idololatriæ ſcelere per erectionem Vitulorum aureorum in Dan & Bethel. Et non (vt alii volunt) à 28. Regni *Solomonis* anno. Quamuis enim *Solomon* ipſe cum populi parte in Idololatriam declinauit, vel certè Idololatriam tolerauit, aliquot ante obitum ipſius annis, non tamen inde incipiendam eſſe annorum 390. ab *Ezechiele* expreſſorum enumerationem: ex eo patet, quòd Propheta ibi de iniquitate domus Iſrael, vt à domo Iuda diuiſa erat, particulariter loquatur, vt in altera quadraginta annorum ſupputatione de iniquitate domus Iuda per ſe ſeparatam facit mentionem.

Ideoque ante primum *Ieroboami* annum & decem Tribuum à Domo *Dauidis* ſeparationem non poteſt iniri

iniri horum annorum calculus. Finis autem horum 390 annorum omnium ferè consensu in annum desolationis Ierosolymorum nempe undecimum *Sedechiæ* annum incidit, quum omnium videlicet tribuum facta est desolatio, & à terra Israelis exterminatio. Et sic anni cum nostro computo exactissimè conueniunt. Nam cum nos ab inchoato Templi opere anno quarto *Salomonis* ad ipsius exidium anno *Sedechiæ* vndecimo numeremus annos 427. Idem consurgit annorum numerus ex *Ezechielis* dinumeratione: Nam si trecentis nonaginta annis addamus 37, fiunt absoluti anni 427. Illorum autem 37 annorum, si 36 *Salomonis* Regno ascribamus, quibus à quarto ipsius anno regnauit, & Regni *Ieroboami* annum vnum adiiciamus, circa cuius finem erexit Idololatriam 427. annos perfectos constituemus. Quod in optimam nostri calculi confirmationem dixisse sufficiat. Et quod ad annos illos quadraginta spectat, quibus à Propheta *Ierem.* cap. 25. per se ferenda erat Iniquitas domus Iuda á decimotertio *Iosiæ* Regis anno putandi veniunt. Quo tempore *Ieremias* Propheta cœpit Iudæis prophetare, & futuras calamitates denunciare. Nam sic etiam ad desolationem terræ Iudæorum reperientur anni quadraginta, octodecim videlicet reliqui *Iosiæ* Regni & *Ioachini* ac *Sedechiæ* anni viginti duo. Hæc ergo annorum Regum Iuda calculum satis confirmant. Sed restat adhuc quæstio de annis Babylonicæ captiuitatis septuaginta à Propheta *Ieremia* designatis, vnde scilicet inchoanda sit horum supputatio. Alii enim ab 11. *Sedechiæ* & terræ Iuda desolatione, alii à captiuitate *Iechoniæ* eos inchoandos esse asserunt. Sed ab anno vltimo *Sedechiæ*, qui &

annus desolationis dicitur incipiendos eos esse ex sacris Scripturis satis probatur, & non ab alio quouis principio. Nam *Ieremias* ipse 25. capite, nomine Dei Israelis sic loquitur: *Ecce ego mittam & sumam pro Nebuchadnezzare Rege Babylonis, vt adducam eum seruum meum contra hanc terram, & habitatores eius dem, & omnes populos circumvicinos ad perdendum eos, & vt faciam eos in desolationem, & in sibilum, & perpetuam vastitatem, &c. Et omnis hæc terra redigetur in vastitatem, & in desolationem vel nquetur: & populus iste seruiet Regi Babylonis. Et post hæc completis 70. annis visitabo iniquitatem Regis Babylonis, &c.* En hic post desolationem terræ continuò sequuntur 70. anni captiuitatis. Eandem etiam reipsa sententiam habet idem *Ieremias*, cap. 33. & in fine cap. 34. Similiter *Daniel* 9. cap. suæ Prophetię recolit se intellexisse per libros, numerum annorum de quibus Dominus locutus erat *Ieremiæ* Prophetæ, nempe illum completurum esse septuaginta annos in desolatione Ierusalem. Vnde rursus cernere licet Prophetam *Ieremiam* annos captiuitatis à desolatione Ierosolymæ numerasse, quum & ciuitas, & templum, & terra ipsa omnino redderentur desolata. Addo his locum 2. Paralip. vltimo, quem supra citaui, vbi post narrationem demolitionis murorum Ierusalem, Templi Domini combustionis, & residui populi qui gladium *Nebuchadnezzaris* euaserat in Babylonem abductionis, Illa facta fuisse (ait textus) vt impleretur Verbum Domini per os *Ieremiæ*, omnibus diebus desolationis suæ quieuit terra donec complerentur prædicti 70 anni. Huic sententiæ etiam de annis 70 captiuitatis à perfecta desolatione numerandis consentiunt veterum Scriptorum maxima pars. Restat ergo annos 70. capti-

70. captiuitatis ab illa completa totius terræ desolatione numerandos: Nam quod alii ab anno deportationis, vel voluntariæ deditionis *Iechoniæ* Regis Iudæ in potestatem Regis Babylonis, annos captiuitatis 70. annorum numerandos putant, ratione caret. Nec loca ad hoc probandum adducta sufficiunt. Nam ea captiuitate, vel potius deportatio particularis erat, quum ipse *Iechonias* vel *Ieboiachin* (nam vtroque nomine dictus fuit) cum præcipuis populi ad numerum decem millium in Babylonem abduceretur. Non enim ea deportatio, desolatio propriè dici meretur. Post illius enim Regis cum quibusdam aliis abductionem Ierusalem, à Rege *Sedechia*, & suis proceribus ac populo habitata est, & terra ipsa culta, & Iudæorum Respublica certo modo stetit, donec tandem vndecimo *Sedechiæ* anno in extremam redacta est solitudinem. Quod autem in contrarium adducitur ex *Ezechiele* 40. cap. de tempore quo vidit in visione, renouationem Templi & ciuitatis Ierosolymæ, quod asserit fuisse 25. anno eorum captiuitatis. Nam illic reuera de deportatione vel captiuitate *Iechoniæ* intelligit cum quo Propheta ipse abductus erat. Sed vt appareat illum de posteriore generali captiuitate non loqui, immediatè ibi subdit id fuisse in principio anni decimo die mensis decimoquarto anno, postquam ciuitas percussa erat, qui 14 annus à desolatione numerandus erat, & vltimo *Sedechiæ* anno. Per quam temporum distinctionem, sententiam nostram potius confirmat, quàm infirmat, neque repugnat hoc in aliquo literis, vel Epistolæ per *Ieremiam* ipsum scriptæ, illis qui in priore captiuitate fuerant abducti, vbi illorum septuaginta annorum meminit post quos liberandi erant, & in solum patrium

reuer-

reuersuri. Nulla enim cogit necessitas, vt restringatur horum annorum initium ad tempus scriptionis illius Epistolę, sed ex aliis verbis eiusdem capitis, & locis aliis eiusdem Prophetę, quorum illi captiui non erant ignari, afferenda est interpretatio. Sunt etiam alii qui de anno in quo finita est captiuitas controuersiam mouent. Inter quos est (teste *Eusebio*) *Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromaton.* qui ait, Perseueraſſe captiuitatem annorum 70. vsque ad secundum annum *Darii* filii
Zac. 1. *Hystaspis*, qui Persis, Assyriis & Ægypto imperauit. Moti quidem sunt illi dicto *Zachariæ* Prophetæ, sed malè intellecto, qui 2. illius *Darii* anno Prophetę munere fungens, ait in persona Angeli: Ioua exercituum quousq; non misereberis Ierosolymę & ciuitatum Iuda, quibus iratus es his septuaginta annis? Sed facilis est solutio. Non enim ibi Propheta quasi de annis tum primum immediatè (vt dicitur) elapsis loquitur, sed tempus prius finitę captiuitatis recolens Angelus, pro complemento operis redemptionis populi orat: propterea quod impedita erat Templi structura, vsque ad eum secundum *Darii* annum: sed captiuitatem prius sub *Cyro* fuisse solutam, & annos illos 70 completos manifestum est ex 2. Paralip. vltimo, & *Esdræ* 1. cap. Vt ergo concludamus hanc septimam Periodum, dico ipsius vltimum annum qui & Babylonicę captiuitatis vltimus est, maximè esse memorabilem & insignem. Propter ipsorum septenariorum annorum supputationis commoditatem, & incidentes in eo multas annorum & Periodorum temporum concursiones. Est enim is annus a mundi exordio 3430. qui numerus perfectionis est. Nam per septenarios diuisus, in quotiente (vt vocant) numero 490 continet annorum Sab-

bata.

bata. Et rursus quotiente numero per ſeptem partito ſurgunt exactè Iubilęa ſeptuaginta. Is itaque mundi annus (non abſque myſterio) multas habet in annorum calculo perfectionis notas. Nam & tot hebdomadas annorum continet, quot ſeptuaginta hebdomadę *Danielis* annos. Hoc eſt 490 annorum Periodum. Et rurſum, quot ſunt anni Babylonicę captiuitatis, nempe ſeptuaginta tot etiam ſunt Iubilęa captiuitatem prȩcedentia. Et tot ſunt hebdomades annorum a *Daniele* ad regni Chriſti manifeſtationem prędictæ. Accedit prȩterea myſterium & typus temporalis illius liberationis a Babylonica ſeruitute, quæ teſtantibus paſſim Prophetis, prȩcipuè *Iſaia*, figuta eſt plenariȩ libertatis ſpiritualis per Chriſtum poſt tot temporum curricula obtinendę: & tempore accepto (de quo *Iſaias* & *Paulus* loquuntur) percepta. Eſt etiam hic annus à quarto *Zedechiæ* anno, vnde Sabbaticorum annorum huius Periodi ſupputationis fundamentum ſumpſimus, annus 77. vndecim continens annorum Sabbata, decem captiuitatis, & vnum captiuitatem prȩcedens. Maximè autem memorabilia quæ in hac ſecunda Periodi ſeptimę parte inciderunt, ſunt Regum, non tantum decem Tribuum, ſed etiam Iudæ maiore ex parte à vero & ſincero Dei cultu defectiones. Qui non obſtantibus aſſiduis Prophetarum admonitionibus, & interpretationibus, qui magni nominis fuerant, quos Deus ad eos miſit, inter quos erant *Elias*, *Elizeus*, *Iſaias*, *Ieremias*, multique alii, ſubinde tamen in Idololatriam aliaque ſcelera proni ruebant: donec tandem iuſta Dei ira à patria tellure; quam ipſe maioribus eorum promiſerat, ipſiſque in poſſeſſionem tradiderat, omnino extorres facti iuſtas ſuæ impietatis

pœnas perſoluerunt: Exemplo nobis facti ne nimia Dei freti indulgentia in peccatis perſiſtamus: tandem enim, vt illis euenit, iuſtus ille Iudex, niſi matura pœnitentia conuertamur, ſimilibus ſceleribus & offenſis, iuſtas & ſimiles inferre pœnas non obliuiſcetur. Reſtat hoc modo, vt oſtendamus alios qui aliis ſupputationibus annos huius Periodi numerant à Sabbatariorum annorum ratione deuiare, vt hi qui inter Templi ſtructuram, & vndecimum *Sedechiæ* annum 434. annos ponunt ſeptem, habent ſuperfluos annos: qui 430 ſimiliter tres; qui 432. quinque, qui 440. tredecim, & ſic de reliquis. Quod ſi quæratur annus magnæ Iudæorum Periodi 6916 annorum: qui cum hoc vltimo captiuitatis anno conueniat, conſtat ex recto calculo eum eſſe illius Periodi 3241 annum. Nam & is numerus per ſeptenarios diuiſus poſt 463. annorum Sabbata nullos reſiduos annos relinquit. Eſt etiam hic idem annus magnorum Sabbatorum *Enoch* 700 annorum, quinti Sabbati annus 630.

CAPVT.

Cap. XIII.

De Periodo octaua, siue periodica per annos Sabbaticos enumeratione, ab anno mundi 3430. ad annum 3920. Deque Periodi huius Parte prima.

PEriodicorum mundi annorum per Sabbaticam dinumerationem ſeptem modo abſoluimus ordines: Sequitur nunc octaua Periodus, quæ ad annum à mundi origine 3920 extenditur, cuius finis natalem Chriſti annum tantum 42. annis præcedit: Et initium regni *Auguſti* Rom. *Cæſaris* attingit, ſecundum communem annorum ipſius calculum, vel ſecundum Ægyptiorum rationem ſolis 16 annis antevertitur. In hoc periodico temporis intervallo incidunt totius Monarchiæ Perſarum & Monarchiæ ab *Alexandro* Magno inchoatæ magna ex parte tempora. Initium autem ſumit ab anno poſt excidium Templi Ieroſolymorum, & caſum *Sedechiæ* regis ſeptuageſimo, qui & vltimus captiuitatis Babylonicæ annus erat: deſinitque anno regni Græcorum in Aſia ab *Alexandro* Magno ſupputato 285, vel regni Græcorum à *Seleuco Nicanore* inchoati anno 266. Difficilior autem eſt huius Periodi calculus; quia eo præſidio magna ex parte deſtituimur, quod in ante deductis habebamus Periodis. Quarum annos ex authenticis ſacris Scripturis licuit inueſtigare & eruere. Nunc

autem opus est vt *deutéron* (quod aiunt) *aspasometha ploun*, nempe vt eorum annorum numeros qui ex diuinis literis non satis perspecti reperiuntur per probatas Historias, & alia adminicula suppleamus. In his autem annis certo inuestigandis tria potissimum in quæstione sunt. Primum est de *Cyri* Monarchię primo anno, in quo Iudęos ex Babylonica captiuitate liberauit. Secunda quæstio est de Monarchię Persarum duratione & annis. Tertia de Regibus huius Monarchiæ, & quot annis quisque eorum, regnauerit. Quod ad primam harum dubitationum attinet, hoc non controuertitur, quin *Cyrus* primus Persarum Monarcha Persis & Babyloniis imperauerit. Nam notabilem eius in Historiis sacris Regum & *Ezræ* inuenimus fieri mentionem: atq; etiam in Prophetia *Esaiæ*, qui multis ante eum natum annis eiusdem nomen expressit: deque ipsius *Cyri* erga Dei cœli cultum, & Iudęos fauorem clara extant testimonia, quod primus statim initio sui imperii libertatem illis in patriam redeundi concesserit publico ad hoc promulgato edicto. Cęterum statimue expletis 70 deportationis annis, an vno aut altero postea anno hoc suum Edictum publicauerit, restat excutiendum. Quantum autem ex sacris Literis coniicere licet, mox post absolutos septuaginta deportationis annos, proximo subsequente anno constat hanc *Cyri* promulgatam fuisse libertatis licentiam. Nam expressè in fine vltimi capitis *Paralipomen.* scriptum est: *Anno primo* Cyri *Regis Persarum, vt complere-tur Verbum Domini per os* Ieremiæ *loquentis*, (*nempe de septuaginta captiuitatis annis*) *suscitauit Ioua spiritum* Cyri *Regis Persarum, vt promulgaret per totum Regnum suum, idque etiam scripto, dicendo*: Sic ait Cyrus *Rex Persidis*,

Perſidis, omnia Regna terræ tradidit mihi Iona Deus cæli, & ipſe commiſit mihi, vt ædificem ei domum Ieroſolymis quæ ſunt in Iudæa. Quis inter vos de toto populo eius eſt, ſit Iona Deus cum eo, & aſcendito. Et *Ezræ* primo capite, eadem verba repetuntur, vbi additur: Et ædificant domum Iouæ Dei Iſraelis: & mox, Tunc ſurrexerunt Primores paternarum familiarum Iudæ & Beniamin, Sacerdotumque & Leuitarum, & cuiuſcunque excitauit Deus ſpiritum, vt aſcenderent ad ædificandum domum Iouæ qui habitat Ieroſolymis. Ex quibus verbis colligimus, ſtatim poſt abſolutos 70. captiuitatis annos *Cyrum* initio Regni ſui Iudæis libertatem in patriam redeundi, & Templi Dei ædificandi conceſſiſſe.

Nec obſtat quod *Danielis* noni Capitis initio ſcribitur: Anno primo *Darii* filii & *Aſſueri*, ex ſemine Medorum, quo factus eſt Rex in regno Chaldæorum: Anno, inquam, primo Regni eius oblata eſt *Danielis* Viſio de reſtituendo Iudæorum ſtatu, poſtquam ipſe ieiuniis & orationibus illam reuelationem impetraſſet ex aſſidua meditatione & conſideratione per Libros numeri annorum quibus fuerat Verbum Iouæ ad *Ieremiam* Prophetam, completas fore vaſtitates Ieroſolymorum, ſeptuageſimum annum adeſſe: Non enim hinc colligitur, ſeptuageſimum annum tunc fuiſſe completum: Sed quia prope erat, Propheta pro Prophetiæ adimpletione precatur. Non quod *Darii* illius Medi annus tunc inſtans, nec ſecundus annus (nam duobus tantùm annis regnaſſe perhibetur:) fuerit annus liberationis è captiuitate, ſed ſequens ſeptuageſimum deportationis, primus annus *Cyri* quo per ſe ſolus regnauit mortuo *Dario*.

Qui vt *Daniel* teſtatur, quum regnare inciperet, erat ſexaginta fermè & duos annos natus. Cum *Cyro* autem illum regnaſſe duobus vltimis vitæ annis etiam teſtantur Chronographi; quum citra eius opem *Darius* ille Medus Babylonicum regnum non obtinuiſſet. Sed cum ſocer *Cyro* fuiſſet *Darius*, cuius vnicam filiam *Cyrus* duxerat vxorem; eius maximè opera acquiſitum fuit illud imperium. *Cyrus* tamen vltro adminiſtrationem Babylonis (aliis bellis occupatus) ſocero *Dario* durante eius vita conceſſit. Vnde conſtat *Darii* Medi annos, quibus Babyloniis imperauit, primum *Cyri* annum, in quo ſolus hanc Monarchiam poſſedit præceſſiſſe. Qui duo *Darii* Medi anni ſub duobus vltimis captiuitatis veniunt comprehendendi. Quibus abſolutis anno primo *Cyri* ſolius regnantis conceſſa eſt libertas Iudęis in patriam redeundi, qui erat annus mundi 3431, & initium imperii *Cyri* per ſe ſuper Babylonios. Ab hoc ergo primo *Cyri* anno ſupputandi ſunt anni Perſarum Monarchiæ. Quamuis Græci aliter eius annos numerant. Nam omiſſo *Cyro* & *Cambyſe* qui ſimul cum eo regnauit, ab ipſius *Cambyſis* vltimo anno Monarchię Perſarum principium deducunt. Velut vt regni Græcorum annos non ab *Alexandro* Magno, ſed à *Seleuco Nicanore* incipiunt. Sed quod ad initium Regni *Cyri* attinet, ſciendum eſt illud eſſe duplex. Primum enim illius regni principium fuit, quum apud Perſas primum cœpit regnare: Secundum, quum poſt *Belteſſarem* interfectum, ſolus Monarchiam Perſarum Babyloniis prœeſſe incipiens obtinuit. Qua in re multos fefellerunt Græcorum Olympiades. Nam quum ſcriptorum omnium ferè conſenſu dicatur *Cyrus* ineunte Olympiade 55. ſuum inchoaſſe Regnum:

Enſe-

Euſebius multique alii hoc de ipſius Monarchię initio intelligunt; quod non niſi multis poſtea annis obtinuit. Nam *Cyrus* (teſte etiam *Cicerone* in libris De diuinatione) 30 annis regnauit, & ad 70 annum peruenisſe dicitur, cum quadraginta annos natus regnum inūiſſe ſcribatur. Qui triginta anni ad totum tempus Regni illius extendendi ſunt. Sed paucis ex illis vtpote ſex per ſe in Monarchia Babylonica imperauit. Vt ex ſubſequente annorum calculo patebit. Nam ſi altiore indagine primum *Cyri* Monarchię annum inueſtigare libeat ex Aſtronomicis *Claudii Ptolomæi* celebris *Alexandrini* Mathematici obſeruationibus, quæ ab egregio illo artifice ex Aſtrorum motibus collectę ſunt, non modo regni *Cyri* tempora, ſed & totius Perſarum Monarchię continuationem & annos licet deprehendere: atque etiam ab *Alexandro* illo Magno ad Chriſti vſque in carnem aduentum rectum annorum inuenire calculum. Eum ergo authorem in ſupplementum eorum quæ in ſacris Literis non exprimuntur, aſſumere mihi religio non ſit. Nam diuinis humana ancillari par eſt: preſertim quum inter omnes Scriptores (preter ſacras Literas) qui de temporum interſtitiis tractârunt, nullius authoris exactiores ſint obſeruationes, quàm illius, quę ex aſtrorum motibus colliguntur & luminarium eclypſibus: fixi enim ſunt termini diſtantiarum temporum ab eo deſignatorum vt mutari nequeant. Nam non tantùm ex variis Authoribus ea collegit, quę motuum cœleſtium reſtitutioni conueniebant: ſed ex multis etiam Hiſtoriis & Chronographicis ſupputationibus quę lucem & ſplendorem inſignem adferunt. Magnamque ei gratiam (vt inquit *P. Cruſius*) eo nomine debent omnes rei

Chro-

Chronologicæ ſtudioſi. Is igitur *Claudius Ptolomæus* nobis ſequendus eſt. De cuius obſeruationibus annorum & temporum nemo debet dubitare: Is, inquam, omnes ſuos annorum numeros à *Nabonaſſare* deducit, ex cuius calculis, non modò *Cyri* primum annum in Monarchia licet eruere, ſed etiam eadem opera Babylonicæ captiuitatis initium (ad noſtri calculi in præcedente Periodo confirmationem) & totius Monarchiæ Perſarum tempora & durationem, ac etiam regni Græcorum continuationem inueſtigare & deprehendere. Sed primò omnium diligenter inquirendum eſt, quiſnam fuerit iſte *Nabonaſſar*, à quo *Ptolomæus* ſuas deducit motuum & temporum obſeruationes. Nam eo ignorato fruſtra ſunt omnes quæ ab illius regni initio ſumuntur poſteriorum temporum deſignationes: & pauci Veterum (quorum extant ſcripta) ſunt, qui de illo eius nomine faciunt mentionem. Verùm noſtronum temporum Chronographi ferme omnes atque etiam Aſtronomi conſentiunt, quòd ille idem fuerit, qui in ſacris Literis *Salmanaſſar* dicitur; Rex ille Aſſyriorum, qui decem Tribus Iſraelis, deſtructo Samariæ regno, in ſeruitutem redegit. Qui rebus à ſe præclarè geſtis obtinuit, vt illius æra in loco maximè illuſtri poneretur. Quorum ſententiæ & ego aſtipulor. Nam non tantum ex nominis affinitatis id licet coniicere, ſed etiam ex annorum numeris in ſacris Scripturis expreſſis qui *Salmanaſſaris* actis attribuuntur, quæ optimè *Nabonaſſari* cõueniunt, id certò poſſumus aſtruere. Nec *Ioſepho Scaligero* in hoc credendum eſt, qui quibuſdam non ſolidis coniecturis ex aliorum nominum Etymologiis ductis, *Nabonaſſarem* eum eſſe putat, qui in ſacra Hiſtoria *Baladan*, pater *Merodach Baladan* Regis

gis Babylonis appellatur: Cuius argumentis refellendis, propter hominis reuerentiam, cui multum tribuo, nunc insistere non intendo. Sed ea leuis esse ponderis legentibus facilè apparere potest: nec tempora conueniunt, quæ à *Nabonassare* supputantur cum aliis quàm *Salmanassaris* annis. Et de *Baladane* illo qui Regis Babylonis *Merodachi* pater (qui *Merodach* temporibus vltimis Regis Iuda *Ezechiæ* floruit, & à *Ptolomæo Mardocempadus* appellatur) nihil (inquam) de insigne *Baladane* illo memoriæ proditum est, vt ab eo celebris illa annorum æra initium duceret. Illo ergo relicto *Nabonassarem Ptolomæi* verè *Salmanassarem* fuisse certò statuamus. Ab eo ergo annos porro cum *Ptolomæo* numerantes duo aut tria deprehendimus iudicia de tempore tam Babylonicæ captiuitatis, quàm initii Monarchiæ *Cyri* inuestigando, per annos scilicet *Nabopollassaris* & *Cambysis*, atque etiam *Alexandri* Magni in Græcorum Monarchia. Ponit enim *Ptol.* à *Nabonassaris* Regni initio ad *Nabopollasaris* regni quintum, annos interceſſe 127. Hunc verò *Nabopollasarem*, *Ptolomæo* dictum, *Berosus* Chaldæus Historiographus (citante *Iosepho*) *Nabuchodonosorem* vocat: Quem constat ex scriptorum consensu, & annorum calculo *Nebuchadnezarem* Regem Babylonis fuisse, & patrem magni illius *Nebuchadnezaris*, cuius apud *Danielem* celebris fit mentio: Qui filius anno regni sui decimonono, Iudæos captiuos destructa eorum vrbe regali, & Templo abduxit, anno mundi 3360 vt ex præcedentis Periodi constat calculo; qui fuit *Sedechiæ* Regis vndecimus & vltimus annus, primusque Babylonicæ captiuitatis: fuit ergo primus annus huius *Nebuchadnezaris* mundi annus 3341. Cuius anni apud Prophetam *Ieremiam*

expressa fit mentio, qui cap. 25. scribit, se à 13 anno *Iosiæ* Regis Iuda, per 23. annos Verbum Domini continentur locutum esse, verùm Iudæos audire noluisse. Is autem 23. annus (vt ibi dicitur) fuit quartus regni *Ioachimi* Regis Iuda filii *Iosiæ*, & primus *Nebuchadnezaris* Regis Babyloniæ, à cuius *Ioachimi* quarto anno (qui vndecim annis regnauit) sunt ad vndecimum *Sedechiæ* nouemdecim. Iam vt quintum annum *Nabopollassaris* patris istius magni *Nebuchadnezaris* venemur, de quo *Ptolomæus* libro τῶν μεγάλων συντάξεως 5. cap. 14. meminit, Illum fuisse mundi annum 3346. sic probatur. *Berosus* (testante *Iosepho* lib. 1. contra *Appionem*) scribit: Quum pater *Nebuchadnezar* (*Ptolomæo Nabopollassar*, & huic *Berosо Nabullassar*) diutius ferre labores non posset, exercitum cum Imperio filio ætate valenti tradidit, qui expeditione mota, Satrapas & populos deficientes ad imperium reuocauit: Vnde constat patrem cum filio regnum communicasse, & filium fuisse qui Iudæos rebellantes vicit, & duxit captiuos. Quod factum fuit filii huius anno regni cum patre 19. vt dictum est, qui erat annus patris 29. vt idem *Berosus* agnoscit, qui *Nabullassari* huic patri tribuit annos 29. quum nouem tantum per se solus regnauerit: sequentibus autem exinde annis cum filio, cuius vltimus annus ex hoc calculo, filii fuit decimusnonus, quo anno Ierusalem capta est. Quintus ergo annus *Nabopollassaris*, qui est à *Nabonassare* 127. erat mundi annus ex *Ptolomæi* calculo collectus 3346. & ex consequenti retro supputando regni *Nabonassaris* initium 3219 annus. Nunc sumantur ex *Ptolomæi* obseruationibus iam dicti 127 anni à *Nabonassare* ad quintum *Nabopollassaris*, & à quinto eiusdem ad annum Iudæorum captiuitatis & desolationis primum,

mum, viginti tres anni, qui iuncti 70 captiuitatis annis reddunt annos 220, quo ducenteſimo vigeſimo anno finito cœpit *Cyrus* ſolus in Babylonico Perſarum imperio regnare: quo etiam anno libertatem Iudæis in patrias ſedes remeandi conceſſit. Qui erat annus mundi 3431, & huius octauę Periodi primus. Iam pro ſuperiorum confirmatione reſtat, vt oſtendamus ex ſacris Literis & annorum Regum Iuda ſerie *Salmanaſſarem* Aſſyrię Regem eundem eſſe cum eo quem *Ptolomæus Nabonaſſarem* vocat. Idque retro à quinto *Nabopollaſſaris* anno (qui & *Nebuchadnezar* ſenior) ſupputando, annos 127 ad primum *Nabonaſſaris* annum, hoc modo. Conſtat ex ſuperioribus calculis annum quartum *Ioachimi* Regis Iuda fuiſſe nonum *Nabopollaſſaris* Regis Babyloniæ: ablatis ergo quatuor annis illis à *Ioachimi* regno peruenitur ad vltimum patris ipſius *Ioſiæ* Regis annum, qui idem eſt cum quinto *Nabopollaſſaris* anno. Ab hoc ergo anno retro numerando dantur *Ioſiæ* regno ex Regum hiſtoria anni 31, *Amoni* eius patri duo, *Manaſsi* 55. *Ezechiæ* 29: Hi anni vnà iuncti efficiunt 117 annos, incluſis ſcilicet trigeſimo primo *Ioſiæ*, & quinto *Nabopollaſſaris* anno. Iam ſuperant ex 127 inter quintum *Nabopollaſſaris* & initium *Nabonaſſaris* anni decem. Qui dandi ſunt regno *Salmanaſſaris*, quibus ille ante *Ezechiam* regnauit, qui ex Regum Iudę Hiſtoria ſic poſſunt colligi. *Achas* pater *Ezechiæ* regnauit annis ſedecim, cuius regni duodecimo anno, vt ſcribitur 2. Regum 17 capite: Aſcendit *Salmanaſſar* Rex Aſſyrię in Samariam contra *Hoſeam* Regem Iſraelis, eoque capto & in vincula coniecto, obſedit Samariam tribus annis. Cauſa autem aſcenſus *Salmanaſſaris* eodem capite deſcribitur fuiſſe ob non

tum canonem ſeu tributum quod ex pacto debebat *Hoſeas*, & ad aliquot antea annos perſoluerat; nempe circiter ſex annos, vt rectè colligit *Tremellius*. Iungantur ergo hi ſex anni cum quatuor vltimis regni *Achaſi* efficiunt decem illos annos regni *Salmanaſſaris*, qui ex numero 127 annorum à quinto *Nabopollaſſaris* decerant, peruenituruque directo calculo ad regni *Salmanaſſaris* initium. Vnde conſtat illum ipſum, nullumque alium verè eſſe *Nabonaſſarem Ptolomæi*. Quin & *Megaſthenes* ille *Amianus* (quem *Ioannes Annius* corruptè *Metaſthenem* vocat) regno *Salmanaſſaris* ſeptemdecim annos tribuit. Quod (quamuis alia in illius fragmento reperiantur erronea) cum noſtro calculo exactè conuenit. Sunt enim totidem *Salmanaſſaris* anni ſi à ſexto *Achaſi* ad ſeptimum regni *Ezechiæ* ſupputentur. Nam anno præcedente, qui erat ſextus *Ezechiæ*, captus eſt Samaria à *Salmanaſſare*, poſt cuius expugnationem eum non diu ſupervixiſſe probabile eſt. Anno enim decimoquarto *Ezechiæ*, *Senacherib Salmanaſſaris* ſucceſſor, obſedit ipſum *Ezechiam* Ieroſolymis.

CAPVT

CAP. XIV.

De secunda Parte octaua Sabbaticorum annorum Periodi, quæ est de Monarchiæ Persarum annis & Regibus ab anno mundi 3430 *ad eiusdem* 3634 *procedens.*

HIS ita sufficienter quæ ad primum Monarchię *Cyri* inueniendum annum pertinent discussis, ad secundum & tertium huius *Epoches* articulum deueniamus, hoc est, de Monarchię Persarum durationis tempore & annus. Deinde de Regibus huius Monarchiæ, & quot quisque eorum regnauerit annis. In quorum annorum & Regum inuestigatione magni & eruditi nostri sæculi Scriptores multum desudârunt. Vt ergo de annis huius Persarum Monarchiæ prioré loco dicamus, memoria tenendum est, quod supra diximus, duplex esse horum annorum supputationis initium. Nam si *Græcorum* more procedamus, Non à *Cyro*, nec à *Cambyse* eius filio, qui simul cum eo ferè regnauit, sed à subsequentibus in ea Monarchia Regibus faciendum est numerandi principium. Sin autem ab ipso primo *Cyri* anno qui primus post *Darium* Medum in Persarum apud Babylonios Monarchia regnauit, addendi sunt duodecim anni ad Græcorum huius Monarchiæ calculum. Si ergo Græcorum sequimur calculum, à *Dario Hystaspis* filio inchoandum est, qui primus

mus post *Cambysen* Persarum regnum obtinuit, à cuius initio ad centesimum decimumquartum, annos huius Monarchię supputat antiquus Scriptor probatæque fidei *Iulius Africanus* apud *Eusebium* citatus, post quem centesimum decimumquartum annum eiusdem Authoris sententia (quem & ipse sequor & approbo) succedunt *Danielis* 70 Hebdomadæ annorum, de quibus postea fusius disseritur à vigesimo *Artaxerxis* memoris anno ducentes initium: a quo porro anno supputantur Persarum Monarchiæ anni septuaginta octo. Sic vt totum tempus illius durationis ex Græcorum calculo sit annorum 192. Vel iuxta Hebræos Scriptores 191 annorum. Nam annus ex Græcorum com[illegible] superabundans ad septimum *Cambysis* annum [illegible] dus est: Idque proximè accedit ad *Dionysii H*[illegible] *sai* calculum, qui scribit, Monarchię Pers[illegible] pora intra ducentos annos contineri. Sed [illegible] tempus huius Monarchiæ ab incunte *Cyri* [illegible] anno numeremus, annorum ducentorum [illegible] spatium continere reperietur. Cęterum, [illegible] annorum computi confirmatione, qui ab [illegible] plures, ab aliis pauciores numerantur: nemo [illegible] arbiter interveniet quàm *Ptolomæus* ille Alexandri[illegible] Astronomus, de cuius ex astrorum motibus collectis obseruationibus nemo debet dubitare. Is igitur tutò sequendus est: Qui à *Nabonassare* ad septimum annum *Cambysis* annos ponit 225. magnę illius constructionis (quam *Almagestum* vulgò vocant) libro quinto cap. 14. Diximus autem supra annum primum *Nabonassaris* ex *Ptolomæi* calculo reperiri mundi annum 3219 fuisse. Compositis inter se 3218 mundi annis, & 225 ad septimum *Cambysis* annum inuenientur anni mundi 3442.

Et

Et ſeptimus ipſius *Cambyſis* annus fuit ter milesimus quadringenteſimus tertius. Finis autem ſeptimæ Periodi (vt ſupra oſtendimus) erat mundi 3430 annis, á quo ad ſeptimum *Cambyſis* ex hoc calculo ſunt anni præciſi duodecim, qui computum Monarchię Perſarum præcedunt ſecundum Græcorum ſupputationem. Additis ergo his 12 annis ad 192 Græcorum fiunt in totum, vt iam diximus, 204 Monarchiæ huius anni. Annorum autem 192 Monarchiæ Perſarum calculum ex *Ptolomæo* ſic licet deprehendere. Obſeruat ille Author, inter initium *Nabonaſſaris*, & mortem *Alexandri* magni annos fuiſſe Ægyptios 424, lib. 3. cap. 7. Cui [illegible]putationi conſentit & calculus Prutenicus *Eraſmi*[illegible], & æræ ſeu *epochæ* eius certiſſimæ: Quæ ita ſe [illegible] a *Nabonaſſare* ad initium annorum obitus *A*-[illegible]nni 423, dies 260. Ex his ergo *Ptolomæi* ob-[illegible]bus conſtat, ſi auferantur a *Nabonaſſare* 225, [illegible]*andro* pro tempore ipſius in Aſiam imperii [illegible]m, remanebunt a ſeptimo *Cambyſis* incluſo [illegible]*dri* Monarchiæ initium 192 anni, quod no[illegible] [illegible]uenit calculo, vel (quod in idem recidit) nu[illegible]ntur ab Eclipſi liniæ in ſeptimo anno *Cambyſis*, ab-[illegible]a quæ contigit vndecim diebus ante Monarchiam *Alexandri* itidem 192 anni. Nunc vt ad particularem annorum & Regum huius Perſicæ Monarchiæ catalogum deueniamus. Primi duodecimi de quibus ſupra locuti ſumus anni, ad *Cyri* & *Cambyſis* Perſas Imperium pertinent. De *Cambyſe* verò non dubitatur, quin omnium Scriptorum conſenſu *Cyri* filius fuerit. Atque etiam ex probatiſſimorum Chronicorum teſtimonio probatur, *Cambyſen* cum patre *Cyro* ad ſex ſaltem annos ſimul imperio præfuiſſe. Nam ex Perſarum veteri inſtituto

tum canonem seu tributum quod ex pacto debebat *Hoseas*, & ad aliquot antea annos persoluerat; nempe circiter sex annos, vt rectè colligit *Tremellius*. Iungantur ergo hi sex anni cum quatuor vltimis regni *Achaſi* efficiunt decem illos annos regni *Salmanaſſaris*, qui ex numero 127 annorum à quinto *Nabopollaſaris* deerant, peruenituruque directo calculo ad regni *Salmanaſſaris* initium. Vnde constat illum ipsum, nullumque alium verè esse *Nabonaſſarem Ptolomæi*. Quin & *Megasthenes* ille *Amianus* (quem *Ioannes Annius* corruptè *Metasthenem* vocat) regno *Salmanaſſaris* septemdecim annos tribuit. Quod (quamuis alia in illius fragmento reperiantur erronea) cum nostro calculo exactè conuenit. Sunt enim totidem *Salmanaſſaris* anni si à sexto *Achaſi* ad septimum regni *Ezechiæ* supputentur. Nam anno præcedente, qui erat sextus *Ezechiæ*, captus est Samaria à *Salmanaſſare*, post cuius expugnationem eum non diu supervixisse probabile est. Anno enim decimoquarto *Ezechiæ*, *Senacherib Salmanaſſaris* successor, obsedit ipsum *Ezechiam* Ierosolymis.

CAPVT

Cap. XIV.

De ſecunda Parte octauæ Sabbaticorum annorum Periodi, quæ eſt de Monarchia Perſarum annis & Regibus ab anno mundi 3430 ad eiuſdem 3634 procedens.

HIS ita ſufficienter quæ ad primum Monarchię *Cyri* inueniendum annum pertinent diſcuſſis, ad ſecundum & tertium huius *Epoches* articulum deueniamus, hoc eſt, de Monarchię Perſarum durationis tempore & annus. Deinde de Regibus huius Monarchiæ, & quot quiſque eorum regnauerit annis. In quorum annorum & Regum inveſtigatione magni & eruditi noſtri ſæculi Scriptores multum deſudârunt. Vt ergo de annis huius Perſarum Monarchiæ priore loco dicamus, memoria tenendum eſt, quod ſupra diximus, duplex eſſe horum annorum ſupputationis initium. Nam ſi *Græcorum* more procedamus, Non à *Cyro*, nec à *Cambyſe* eius filio, qui ſimul cum eo ferè regnauit, ſed à ſubſequentibus in ea Monarchia Regibus faciendum eſt numerandi principium. Sin autem ab ipſo primo *Cyri* anno qui primus poſt *Darium* Medum in Perſarum apud Babylonios Monarchia regnauit, addendi ſunt duodecim anni ad Græcorum huius Monarchiæ calculum. Si ergo Græcorum ſequimur calculum, à *Dario Hiſtaſpis* filio inchoandum eſt, qui primus

mus post *Cambysen* Persarum regnum obtinuit, à cuius initio ad centesimum decimumquartum, annos huius Monarchię supputat antiquus Scriptor probatæque fidei *Iulius Africanus* apud *Eusebium* citatus, post quem centesimum decimumquartum annum eiusdem Authoris sententia (quem & ipse sequor & approbo) succedunt *Danielis* 70 Hebdomadæ annorum, de quibus postea fusius differitur à vigesimo *Artaxerxis* memoris anno ducentes initium: a quo porro anno supputantur Persarum Monarchiæ anni septuaginta octo. Sic vt totum tempus illius durationis ex Græcorum calculo sit annorum 192. Vel iuxta Hebræos Scriptores 191 annorum. Nam annus ex Græcorum computo superabundans ad septimum *Cambysis* annum referendus est: Idque proximè accedit ad *Dionysii Halicarnassæi* calculum, qui scribit, Monarchię Persarum tempora intra ducentos annos contineri. Sed si integrum tempus huius Monarchiæ ab ineunte *Cyri* in ea primo anno numeremus, annorum ducentorum & quatuor spatium continere reperietur. Cęterum, pro horum annorum computi confirmatione, qui ab aliquibus plures, ab aliis pauciores numerantur: nemo melior arbiter interveniet quàm *Ptolomæus* ille Alexandrinus Astronomus, de cuius ex astrorum motibus collectis obseruationibus nemo debet dubitare. Is igitur tutò sequendus est: Qui à *Nabonassare* ad septimum annum *Cambysis* annos ponit 225. magnę illius constructionis (quam *Almagestum* vulgò vocant) libro quinto cap. 14. Diximus autem supra annum primum *Nabonassaris* ex *Ptolomæi* calculo reperiri mundi annum 3219 fuisse. Compositis inter se 3218 mundi annis, & 225 ad septimum *Cambysis* annum inuenientur anni mundi 3442.

Et

Et ſeptimus ipſius *Cambyſis* annus fuit ter milesimus quadringenteſimus tertius. Finis autem ſeptimæ Periodi (vt ſupra oſtendimus) erat mundi 3430 annis, á quo ad ſeptimum *Cambyſis* ex hoc calculo ſunt anni præciſi duodecim, qui computum Monarchię Perſarum præcedunt ſecundum Græcorum ſupputationem. Additis ergo his 12 annis ad 192 Græcorum fiunt in totum, vt iam diximus, 204 Monarchiæ huius anni. Annorum autem 192 Monarchiæ Perſarum calculum ex *Ptolomæo* ſic licet deprehendere. Obſeruat ille Author, inter initium *Nabonaſſaris*, & mortem *Alexandri* magni annos fuiſſe Ægyptios 424, lib. 3. cap. 7. Cui ſupputationi conſentit & calculus Prutenicus *Eraſmi Reinoldi*, & æræ ſeu *epochæ* eius certiſſimæ: Quæ ita ſe habent, a *Nabonaſſare* ad initium annorum obitus *Alexandri* anni 423, dies 260. Ex his ergo *Ptolomæi* obſeruationibus conſtat, ſi auferantur a *Nabonaſſare* 225, & ab *Alexandro* pro tempore ipſius in Aſiam imperii anni ſeptem, remanebunt a ſeptimo *Cambyſis* incluſo ad *Alexandri* Monarchiæ initium 192 anni, quod noſtro conuenit calculo, vel (quod in idem recidit) numerantur ab Eclipſi liniæ in ſeptimo anno *Cambyſis*, ab ea quæ contigit vndecim diebus ante Monarchiam *Alexandri* itidem 192 anni. Nunc vt ad particularem annorum & Regum huius Perſicæ Monarchiæ catalogum deueniamus. Primi duodecimi de quibus ſupra locuti ſumus anni, ad *Cyri* & *Cambyſis* Perſas Imperium pertinent. De *Cambyſe* verò non dubitatur, quin omnium Scriptorum conſenſu *Cyri* filius fuerit. Atque etiam ex probatiſſimorum Chronicorum teſtimonio probatur, *Cambyſen* cum patre *Cyro* ad ſex ſaltem annos ſimul imperio præfuiſſe. Nam ex Perſarum veteri inſtituto

inſtituto (vt ſupra de his & aliis nationibus tetigimus) ſeruatum fuit, vt ſi pater Rex in expeditionem aliquam contra exteras Gentes proficiſceretur, filius interea domi regnaret. *Cyrus* ergo contra Scythas arma mouens filium *Cambyſen* regiæ præfecit adminiſtrationi in Perſide, quæ per annos ſex continuata eſt. Deinde mortuo *Cyro Cambyſes* ſeptimo illius anno ſolus regnauit, parumque poſtea nempe non vltra quinque menſes ſuperſtes fuiſſe perhibetur. Ergo ex duodecim prioribus antedictis Monarchiæ Perſarum annis ſex tribuendi ſunt *Cyro*, quibus per ſe ſolus regnauit, & alij ſex coniuncto ipſius cum *Cambyſe* imperio. His ita ſe habentibus, procedamus ad Græcorum Perſicæ Monarchiæ 192 annos, quorum initium habendum eſt ſeptimus ille *Cambyſis* annus, quo poſt patrem regnauit: qui annus iunctis quinq; menſibus regni illius, & ſeptem menſibus ſequentibus, quibus Magi regnârunt per vim, duos annos conſtituunt, qui numerandi veniunt inter 36 annos quibus *Darius Hiſtaſpis* filius regnaſſe dicitur. Nam ab eo Græci incipiunt Perſarum Monarchiæ annos. Ex quibus *Iulius Africanus* ponit ad vigeſimum *Artaxerxis* memoris annum (vnde inchoantur *Danielis* Hebdomadæ) centum & quatuordecim annos: Qui componuntur ex illis 36. qui *Dario Hiſtaſpis* attribuuntur, & ex quadraginta *Dario Longimano* aſſignatis, & 19 *Darii Nothi*, ac 19 primus ipſius *Artaxerxis* memoris annis, poſt quos 114 annos ſupputantur ad initium *Alexandri Magni* Monarchiæ anni ſeptuaginta octo. Sic vt totum tempus durationis Perſarum Monarchiæ ſit ex Græcorum calculo à ſeptimo *Cambyſis* (qui primo *Darii Hiſtaſpis* annumeratur) annorum centum nonaginta & duorum (vt ſupra probauimus

bauimus) & ab initio *Cyri* Imperii annorum ducentorum & quatuor. Reges autem huius Monarchiæ, præter *Cyrum* & *Cambyſen*, per quos nunc nos numeramus, fuerunt ſeptem. Primus videlicet *Darius* ille *Hiſtaſpis* fratris *Cyri* filius, qui (teſte *Herodoto* & aliis) 36. regnauit annis. Deinde *Darius* ille qui (à longitudine manuum, vel quia dextra ſiniſtra longior erat) *Macrocheir* Græcis cognominatus eſt, 40. annis (vt hiſtorici teſtantur) regnum tenuit. Poſt hunc *Darius Nothus* illius filius annis 19 & ex illius *Artaxerxis*, qui ob inſignem memoriam dictus eſt *Mnemôn*, additis 19 (vt ſupra) fiunt 114. Et poſt inchoatas *Danielis* Hebdomadas ſuperſunt ex *Artaxerxis* Memoris annis 43, poſt hunc, 26 annis præfuit *Ochus Artaxerxes*, & poſt hunc *Arſes* quem tantum tribus annis regnum tenuiſſe traditur. Et *Darius* vltimus ab *Alexandro* deuictus ſex annis, quorum poſteriorum nomina & annos numero citaſſe ſufficiat. Nam illorum iterum fuſior fiet mentio. Sed hic occurrit quæſtio: Cur in hoc Catalogo omittuntur *Cambyſes* & *Xerxes* cum eorum annis. Nam & ipſi inter Perſicos reges a Græcis numerantur, & *Cambyſi* quidem attribuuntur anni à pleriſque octo *Xerxi* verò plures, nempe 20 anni. Sed pro huius nodi ſolutione memoria tenendum eſt, quod ſupra diximus de Perſarum veteri inſtituto, de quo (præter alios) *Herodotus* libro ſeptimo, qui *Polymnia* inſcribitur, propè principium meminit: De ſucceſſore creando antequam Rex aliquis in externam expeditionem proficiſceretur. Et de *Cambyſe* iam diximus quomodo ſex annis cum patre *Cyro* imperauerit, ita vt eius anni cum patris *Cyri* annis confunderentur, vt de eo inter alios *Ioannes Carion* rectè teſtatur in ſuis Chronicis. Qui

ſcilicet *Cambyſes* non diu poſt patrem ſuperſtes nullum hęredem regni reliquit. Eſtque hoc modo ſemel totus extinctus: de *Xerxe* autem, qui etiam in hoc Perſicorum Regum catalogo omittitur, ſic habendum eſt, hunc etiam non aliam ob cauſam prætermitti, quàm eam quæ iam recitata eſt. Nempe (vt idem *Carion* & *Philipp. Melanchthon* indicant) quod profecto in Græciam *Xerxe* Longimanus: *Artaxerxes* eius filius interea regnum adminiſtrauit in Oriente, & tradunt quidam Scriptores per annos nouem hunc *Artaxerxem* cum *Xerxe* patre regnaſſe. Nam ad 40 annos (vt diximus) regnum extendebat. Reliqui autem anni ipſius *Xerxis* propterea in calculum regum Perſiæ non veniunt, quia cum patre ipſius *Dario Hiſtaſpis* etiam regum nomen ad certos annos (vt probabile eſt) obtinuit. Hiſtorici etiam tradunt *Xerxem* non multò poſt reditum à Græcia (vbi infeliciter dimicauit) tempore ſupervixiſſe: Interfectum enim fuiſſe ab *Artabano*, qui plurimum apud eum (vt refert *Cteſias*) authoritate valebat. Narrat etiam *Herodotus, in Polymnia*: Magnam fuiſſe inter *Darii* liberos contentionem de principatu, nempe *Artabazanem* & *Xerxem* qui de eadem matre non erant. Sed repulſo ſeniore *Artabazane*, *Xerxem* ex ſecunda vxore *Atoſſa* (iuſſu patris) regnaſſe, vt regnum apud *Cyri* poſteros ex *Atoſſa Cyri* filii remaneret. Cæterum de *Xerxis* nomine, Hebręi Scriptores non meminerunt, quia nulla illius in ſacris Literis fit mentio: niſi quòd in genere ſuppreſſo nomine apud *Danielem*, cap. 11. de eo fit relatio ſub deſignatione quarti Perſarum regis, qui poſt tres ſurrecturus eſſet, & ſupra omnes ditandus, & omnes contra regnum Græciæ excitaret. Ille autem quartus non obſcuris indiciis

Xerxes

Xerxes est, de cuius famigerata contra Græcos expeditione multa à multis extant scripta. Sed de *Xerxe* isto apud Græcos notissimo nulla ab Hebræis fit mentio, qui Babylone regnantium Principum duntaxat notitiam tenebant. Nec etiam de *Cambysis* nomine in sacris Scripturis aliqua fit recordatio: sed in *Ezræ* 4. cap. eum sub *Artassastis* vel *Artaxerxis* nomine significari, certis constare potest indiciis. Nam quum ibi dicatur, In diebus *Artaxaste* scripsisse illi aduersarios Iudæorum, vt opus extruendi Templi impediret, de *Cambyse* hoc tum Persarum Rege intelligendum est. Nam & hunc hostem fuisse populi Dei ex *Daniele* cap. 10. liquidò apparet: Cui Angelus reuelat Principem regni Persici ei obstitisse vno & viginti diebus, quod de alio quàm *Cambyse* eiusque consiliariis intelligi non potest: Nempe nemo præter illum absente *Cyro* tum Persis imperauit. De *Assuero* etiam ibi scribitur, quod in eandem sententiam ad illum Iudæorum hostes literas miserint, cuius toto regni tempore opus Templi etiam fuit impeditum. Qui *Assuerus* in Sacris dictus, ille est qui à Græcis *Darius Histaspis* filius dicitur. *Hystaspes* autem frater germanus *Cyri* fuit. Non enim *Assuerus* iste, de quo *Ezra* meminit, *Darii* illius Medi (qui cum *Cyro* biennio regnauit) filius erat: vt perperam asserit *Metasthenes* ille *Ammianus*. Nam vtex *Xenophonte* colligimus, *Darius* Medus, nullum filium legitimum habuit, sed filiam vnicam, quam *Cyro* in matrimonium dedit. Quæ ergo de *Assuero* illo Prisco memorantur de *Dario Hystaspis* filio intelligenda sunt. Qui (vt *Ptolomæus* refert, lib. 1. cap. 10.) *Cambysi* successit. Nam is à *Nabonassare* ad eius 31 annum, numerat annos Ægyptios 256 dies 122. Et à secundo *Mar-*

docempadi (qui *Merodach Baladan* in ſacris Scripturis dicitur) ad 20 eiuſdem *Darii*, annos Egyptios 218, dies 309. Qui annorum numeri cum ſuperiore noſtra ſupputatione exactè congruunt: Nam inter ſeptimum *Cambyſis*, hoc eſt, 225 à *Nabonaſſare*, ad 256 annos, hoc eſt 31 *Darii* conuenit numerus. Et ſimiliter à *Nabonaſſare* ad *Mardocempadum* putati à *Ptolomæo* anni, nempe ad ſecundum illius annum, ſunt 27, dies 17, & à *Mardocempado* ad 20 *Darii* annum 218, dies 309. Hi anni iuncti reddunt 245, & additis vndecim inter *Darii* 20 & 31 annum, 256 annos vt prius. Ad hæc vt probemus eundem eſſe *Darium Hiſtaſpis* cum illo qui in ſacra Scriptura *Aſſuerus* dicitur, acta quæ *Aſſuero* illi Priſco ab Hebræis aſcribuntur, optimè cum illis conueniunt quæ Græci Hiſtorici *Dario* illi *Hiſtaſpis* tribuunt: Qui *Darius* propter ipſius anteceſſorem *Cambyſem* etiam *Artaxerxes* dictus eſt, & (teſte *Herodoto in Thalia*) filiorum *Hiſtaſpis* natu maximus erat: de eo namque dicitur, ipſum apud Perſas viginti Prouincias (quas illi Satrapias vocant) conſtituiſſe, earumque ſingulis Præſides præfeciſſe, taxato quod penderetur tributo. Is etiam idem eſt qui contra Scythas ſumpſit expeditionem, quam ab *Aſſuero* quoque illo Priſco ſuſceptam fuiſſe aſſerunt Hebræi Scriptores contra factionem Tamaricam, quæ dolo patruum illius (nempe *Cyrum*) *Tomyra* Reginæ Scytharum tradiderat. Hoc etiam *Hiſtaſpis* filio regnante Babylonios rebellaſſe; tradit *Herodotus*, qui opera *Zopyri* eos expugnauit. De *Dario* etiam *Xerxis* filio, quem *Macrocheira* vocant, quique opus ædificii Templi renouauit, noua conceſſa ædificandi licentia, *Ezra* 4. cap. atque quinto & ſexto fit relatio. Nam de alio quam de illo intelligi man datum illud

lud de Templo restaurando datum, nec vera patitur Chronologia, nec veterum probatissimorum consensus Scriptorum. Is autem *Darius* in fine *Ezræ* 4. cap. Rex Persiæ nominatus, etiam ex communi Regum appellatione *Artaxerxes* dicebatur. Cuius sexto anno consummatum fuisse templi opus *Ezra* cap. 6. recolit: Quod scil. opus interruptum erat, vsque ad secundum huius *Darii* annum. Quod autem Iudęi, *Ioan.* 2. cap. Christo obiiciunt, quadraginta sex annis ædificatum fuisse Templum, incertum est de quo Templo intelligant: Nam Templum quod tunc stetit ab *Herode*, magnis sumptibus ædificatum fuisse testatur *Iosephus* Antiquitatum lib. 15. cap. 14. idque octo annorum spatio. Templum autem primum à *Solomone* exstructum fuit (vt supra meminimus) intra septem annorum spatium. Et de secundo Templo constat, interruptum fuisse illius opus & impeditum á *Cyri* regni tempore ad *Darii* huius secundum annum circiter annis quadraginta, quod sexto eiusdem *Darii* fuit completum. De quo intellexisse Iudęi illi videntur. Cęterùm, his omissis ad Reges Persarum eorumque annos redeamus. Sunt autem á sexto *Darii* istius Longimani anno, ad vigesimum *Artaxerxis* Memoris annum, in quo incipit *Danielis* Hebdomadum supputatio, 72 anni. Supersunt enim ex Longimani annis 34: *Darius Nothus* regnauit annis 19, quibus additi alii 19 ex *Artax.* μνημόνος prioribus annis surgunt illi 72 anni. Quamuis autem de *Dario* isto *Notho* nulla fit in diuinis Literis relatio, de eo tamen Scriptores consentiunt illum fuisse filium *Darii Longimani*, & 19 annis regnasse, pręter *Ioan. Carionem*, qui negat eum ex *Longimano* genitum, sed eius sororem in coniugem accepisse. Cum aliis autem con-

uenit, quod *Darius* iſte *Nothus* duos habuerit filios legitimos, nempe *Artaxerxem* qui Memoris cognomentum adeptus eſt, & *Cyrum* minorem. *Artaxerxes* autem regno poſt patris mortem potitus erat, vtpote natu ſenior. Sed *Cyrus* frater illius regno inſidians, eumque bello petens tandem occiſus eſt. Is eſt *Artaxerxes* ob inſignem memoriam *Mnemon* dictus, qui anno 20 regni ſui, *Nehemiæ* muros Ieroſolymæ ædificandi & ciuitatem ipſam inſtaurandi contulit facultatem. Qui etiam meo iudicio is fuit qui alio nomine *Aſſuerus* dictus, *Heſteram* Iudęam duxit vxòrem. Quod pręcipuè ex eo coniicio, quod in *Nehemiæ* libro cap. 2. ſcribatur, quum ille veniam ab Rege rogaret in Iudęam proficiſcendi vt muros Ieroſolymę inſtauraret, Reginam Regi fuiſſe aſſidentem, quæ eius etiam poſtulatis præſtitit fauorem: alioqui de illa mentionem non feciſſet *Nehemias*. De iſto etiam *Artaxerxe* ſcribitur, illum omnium Perſarum Regum diutiſſimè vixiſſe. Nam ad annum vſque 94 vitam prorogaſſe, & 62 annis regnaſſe tradit in eius vitæ Hiſtoria *Plutarchus*. Cui potius credendum eſt quàm aliis, qui eius regnum breuiori ſpatio limitant. Nam ille grauis Author eſt, & ex profeſſo vitam eius & acta ſumit deſcribenda. Cæterum *Artaxerxi* huic ſucceſſit *Ochus* qui 26 annis regnum tenuiſſe traditur, & poſt hunc *Arſes* tribus tantum annis, & *Darius* vltimus, ſex: de quorum duobus prioribus, tametſi ſacræ Literæ expreſſam non faciant mentionem, non dubium tamen eſt tales fuiſſe Perſarum Reges: Nam Scriptores omnes de ipſis conſentiunt. De *Dario* tamen vltimo quem *Alexander* regno exuit, aliqua in ſacra Hiſtoria fit recordatio, *Nehem.* 12. cap. vbi ſcribitur: regnante *Dario* Perſa in diebus *Eliaſhib*,

Ihib, Ioada, Ioannan, & Iaddua ſcripta fuiſſe nomina Patrum Leuitarum & Sacerdotum. Nunc vt ad inſtitutum de Regibus huius Perſicæ Monarchiæ eorumq; temporibus redeamus, dico ex ſupradictis conſtare omnes huius Monarchiæ poſt *Cyrum* & *Cambyſen* Reges numero fuiſſe ſeptem, vel (ſi addatur *Xerxes*) octo, nempe *Darius Hiſtaſpis, Longimanus, Nothus, Artaxerxes Mnemon, Ochus, Arſes*, & *Darius* vltimus *Codomannus* dictus. Nam qui plures aut pauciores numerant à vero aberrant. Maximè autem Iudęi, qui quatuor tantum Perſarum Reges numerant, ex loco *Danielis* 11. malè intellecto: vbi dicit Angelus *Danieli*: Adhuc tres Reges ſtaturos Perſidi, & quartum præ reliquis eſſe ditandum. Nam illic non vltra *Xerxem* Angelus progreditur, qui contra Græcos arma mouit. Is enim quartus erat Perſarum Rex. Primus enim erat *Cyrus*, *Cambyſes* ſecundus, tertius *Hiſtaſpis* filius, & quartus *Xerxes* ipſe. Nam de Mago illo qui ſub nomine *Smerdis Cambyſis* fratris ab eo interempti regnum per vim occupauit, tacet Angelus. Eius enim imperium ad aliquot menſes obtentum legitimum non erat. De reliquis Regibus qui poſt *Xerxem* regnârunt in eo loco, non meminit Angelus, ſed ſtatim ad *Alexandrum* Græcum tranſit, qui Perſarum deleuit imperium. Reſtat vt concludamus, Perſarum Imperium ſecundum Græcos 192 annorum ſpatio contineri. Cui calculo conſentiunt & Hebręorum probatiores Scriptores. Et *Philo* apud *Ioannem Amium* tam per ſummorum Pontificum, quam Ducum de domo *Dauid* tempora eos annos ſupputans. Et quamuis *Philo Amianus* ille ab aliquibus ſuſpectæ fidei habeatur, per certiſſimas *Ptolomæi* obſeruationes confirmatur ille annorum calculus. Cæterum

terum in annorum per Chronologiam supputatione hoc semper obseruandum, venit non semper annos perfectos intelligendos, sed aliquot mensibus aliquando deficientes, aliquando superabundantes designari, qui per præcedentes vel sequentes inæquales annos supplendi sunt, vt ad rectum calculum omnia reducantur. Nunc restat, vt quinam sint anni sabbatici ex hac Persarum Monarchia indagemus. Quod facilè in calculum venit, si periodicum continuum annorum curriculum animaduertamus. Nam si à perfecto illo anno mundi 3430, qui finis est prioris Periodi procedamus, inueniemus ad vigesimum *Artaxerxis Memoris* annum, vnde inchoantur *Danielis* Hebdomadæ, esse Sabbata annorum octodecim, hoc est, annos 126. Et finis huius Persarum Monarchiæ quæ ad summum (vt diximus) annos ducentos & quatuor comprehendit, penultimum annum esse Sabbaticum, quæ à principio huius Periodi Sabbata annorum 29, & ducentos ac tres annos simplices complectitur citra aliquos superfluos annos.

CAPVT

Cap. XV.

De tertia huius octauæ Periodi parte, quæ ab Alexandri *Monarchiæ initio ad finem huius reuolutionis, hoc eſt, ab anno mundi* 3634, *ad eiuſdem* 3920 *annum extenditur.*

Vpereſt tertia & vltimà pars huius octauę Periodi, quæ ab anno mundi 3634, hoc eſt, *Alexandri* Magni Monarchiæ initio, ad annum ab orbe condito 3920 extenditur, hoc eſt, ab initio Monarchiæ *Alexandri* ad annum 285 ab eodem, vel ad annum regni Græcorum à *Seleuco* 266. A quo etiam anno (qui 42 annis Chriſti natalem præcedit) fit *Auguſti Romani Cæſaris* regni principium, ſi ab interempto in Senatu *Iulio Cæſare* illius imperium ſupputemus. Sed ſi à deuicto *Antonio* & ſubiugata Ægypto, inque Romanorum prouinciam redacta *Auguſti* regnantis numeremus annos, erunt (vt in principio huius Periodi meminimus) ab hoc mundi 3920 anno ad regni *Auguſti* initium 15 anni. Eſt ergo totum huius tertię partis octauę Periodi intervallum 286 annorum. Quorum particularis ſupputatio ſic deducitur, vt à variis colligitur Scriptoribus, vtpote *Clemente Alexandrino*, *Dionyſio Halicarnaſſæo*, *Euſebio* & aliis, nempe à morte *Alexandri* ad annum victoriæ finalis *Auguſti* contra *Antonium*, qui

in Alexandria Egypti sibi ipsi manus intulit, ponunt annos 294. Quod etiam per astronomicam *Ptolomaei* supputationem confirmatur, circa finem libri tertii his verbis: ἀπὸ δὲ τῆς τελευτῆς Αλεξάνδρου μεχρὶ τῆς Αὐγούστου βασιλείας ἔτη 294: à morte *Alexandri* ad *Augusti* regnum sunt anni 294. Et quamuis *Ptolomaeus* per annos Egyptios numeret, qui aliquanto breuiores sunt Romanis (quum nullam recipiant intercalationem) tamen in hoc 294. annorum numero solum differunt 73 diebus, qui (ἐν πλάτει numerando) vulgatiorem annorum computationem non mutant. His annis additi septem ipsius *Alexandri* regni efficiunt ab inita Monarchia eiusdem vnum supra trecentos annos. A quibus auferendi rursus sunt 15, sicque remanent (vt supra) 286. pro huius tertiæ partis à fine octauæ Periodi interuallo. Vel si particularius annos numerare libet. Sunt à morte *Alexandri* ad Græcorum regni per *Seleucum* initium, scriptorum consensu, anni duodecim: deinde ad mortem *Mattathiæ* Maccabæorum patris, & initium *Iudæ Maccabæi* Græcorum regni anni centum quadraginta sex, vt libri primi Maccabæorum cap. 2. circa finem habetur, & ex *Iosephi* libri Antiquitatum 12 cap. 8. Maccabæorum autem dominatus secundum eundem *Iosephum* durauit annis centum viginti sex: iungantur hi tres numeri, & fiunt anni 284: & additis septem regni *Alexandri* fiunt 291. Sed rursum subducendi sunt ab hoc integro 291 annorum numero quinque anni, vt perueniamus ad annos 286 supra positos pro fine huius Periodi. Qui quinque anni subtracti precedunt *Herodis* magni Iudaicum regnum. Nam ille á Romanis designatus Rex, Machabęorum dominationi finem imposuit. Qui annus fuit ab vrbe condita 714,

lib. antiq. 14. cap. 26. & lib. 17. c. 19.

Domitio

Domitio Calvino, & *C. Asinio Pollione* Consulibus. Christi autem Natiuitas incidit in conditæ vrbis 751 annum. A quo retro numerando ad regni *Herodis* initium sunt anni 37, & annis 5 additis qui *Herodis* regnum præcedunt 42, quod priori nostro calculo conuenit. Iam sunt ex his Græcorum regni annis, quidam Sabbatici, ex quorum recto calculo nostra Sabbatariorum annorum enumeratio certa & vera possit demonstrari. Qui etiam à *Iosepho Scaligero* in quinto De temporum emendatione recensentur. Is enim sic habet: *Iosephus* scribit, primum annum *Hircani*, quo *Ptolomæus* eius affinis obsessus fuit in Castro *Dagon*, fuisse septimum Hebdomadis. Annus erat Seleucidarum, vt ex *Iosepho* & lib. 1 *Macha.* colligitur 178, & Periodi Iudaicę 3626, qui anni per septem diuisi nihil relinquunt. Rursus ex primo *Machabæorum* & *Iosepho* putat idem *Scaliger* annum Seleucidarum Antiochenum 150, (qui erat secundus ab excessu *Antiochi Epiphanis*) Sabbaticum fuisse. Qua tempestate *Antiochus Eupator Iudam Machabæum* Ierosolymis obsedit. Hæc quidem ille: sed sciendum est: Si ad annos Iulianos nostros calculum annorum ab ipso *Scaligero* enumeratorum accommodemus, hi anni Sabbatici non reperientur, siue à mundi exordio siue à sexto *Iosuæ* anno Sabbata annorum supputemus. Hactenus enim inter illum & me conuenit à rerum conditu ad casum *Sedechiæ* & primi Templi excidium annos esse 3360. Reliquos autem consequentes annos sic ille numerat ad reditum Iudæorum à captiuitate anni 59, ad edictum *Darii Nothi* 108, ad encęnia *Iudæ Maccabæi* anni 259. Hi anni simul iuncti 426 constituunt. Encęnia autem *Machabæi* ex lib. 1. *Machab.* cap. 4. inuenimus facta fuisse anno regni Se- *Ioseph antiq. lib. 14. cap. 23*

leucidarum ſeu Græcorum centeſimo quadrageſimo octauo. Si ergo anno ſecundo ſequenti *Antiochus Eupator* obſedit *Iudam Machabæum*, anni collecti à caſu *Sedechiæ* 428 annos efficiunt, qui per ſeptem diuiſi, poſt partitionem annum vnum ſuperfluum relinquunt. Ergo ex illo calculo annus 150 Seleucidarum Sabbaticus non eſt, ſed primus Semitæ ſequentis annorum Hebdomadis. Ipſe etiam *Scaliger* agnoſcit eodem quinto libro & loco; primum annum Sabbaticum à Iudæis obſeruatum ſeptimum fuiſſe τῆς γεωργίας. Poſtquam filii Hebræorum pedem in poſſeſſionem terræ Chanaan poſuerunt: qui à ſexto *Ioſuæ* ſupputandus eſt, vt ſupra demonſtrauimus. Annus verò 150 Seleucidarum ex hoc calculo à ſexto *Ioſuæ* annus eſt 1289, qui numerus annorum per ſeptem etiam diuiſus vnum relinquit ſuperabundantem annum. Similiter ex hoc annorum computo reperimus annum Seleucidarum 178 in primo *Machab.* libro expreſſum, qui fuit (vt *Scaliger* refert) primus *Hircani*, quo *Ptolomæus* eius affinis in caſtro *Dagon* obſeſſus fuit, vno anno Sabbaticũ exceſſiſſe: ſed annum præcedentem nempe 177 ſeptimi anni ex ipſius etiam *Scaligeri* computo rationem habuiſſe: Nam annus ille á caſu *Sidechiæ* 455 fuit, qui per ſeptenariam diuiſionem nullum relinquit ſuperfluum annum, quum annus ſequens 456 vnum addat. Sed pro *Scaligeri* viri eruditiſſimi defenſione dicendum eſt ex calculo Sabbaticorum annorum Hebraico, qui ſemper a menſe ſeptimo *Tiſhri* inchoantur quatuor ferè menſes noſtri initium anni (qui a Ianuario exordium ſumit) ſolent præcedere. Ita vt aliqua anni ipſius ſabbatici pars in annos a *Scaligero* deſignatos incidat, pars autem altera, eaque maior, in noſtro ſabbatariorum annorum

calculo

calculo (qui à Ianuario fit) numeretur: qua de re in præcedente etiam Periodo egimus. Sed maior adhuc ſupereſt ſcrupulus ex librorum ſcilicet 1, & 2. Machabęorum collatione. Manifeſtum enim eſt, duos hos legenti libros in annorum regni Græcorum ſeu Seleucidarum dinumeratione, magnam eſſe diſſonantiam. Nam cum primus illorum librorum habeat *Antiochum Epiphanem* anno Græcorum 149 deceſſiſſe, libri ſecundi author quicunque is fuit, (non enim ſunt vnius Authoris) cap. 13 ſcribit, *Antiochum* illius filium cognomine *Eupatora Iudam Machabæum* anno eodem 149 Ieroſolymis obſediſſe. Quum & Machab. primus, & *Ioſephus* aſſerant anno 150 Ieroſolymam ab *Eupatore* obſeſſam, ita vt vnum ſaltem annum inter hæc interceſſiſſe neceſſe ſit. Cui ergo horum maior adhibenda ſit fides, incertum apparet. Quiſquis autem primi libri fuit Author, ſecundi ſcriptor teſtatur ſe a tertio capite ad finem vſque libri ea quæ refert ex quinque libris *Ioſonis Cyrenæi* excerpſiſſe, & in Epitomen redegiſſe: præter quædam quæ ex ſeipſo adiecit, quæ non adeò firmæ ſunt fidei. Cęterum nodum iſtius diſſonantiæ ſic diſſoluit ſolertiſſimus *Scaliger*, aſſerens primi Machab. Authorem ſemper vti annus Seleucidarum Antiochenis Iudaicis a *Niſan* inchoantibus, alterius verò libri ſcriptorem vti Chaldaicis, quos integro anno poſteriores Iudaicis putat, qui a menſe *Elul* Iudaico, vt plurimum incipiunt: hæc quidem ille recolit. Sed miratur quo pacto fiat, vt *Antiochi* prioris deceſſus lib. 1. Machab. in annum 149 conferatur, quum Epiſtola *Antiochi Eupatoris* poſt patris obitum conſcripta ex ſecundo Machab. 11 cap. habeat annum 148 ex menſe Xanthico (qui noſtro ferè Aprili reſpondet) Epiſtola

etiam *Lyſiæ* Iudæis ibidem directa eundem annum habet, ex menſe Dioſcoro. Cui ergo credendum eſt? Ego ſanè poſteriori annorum Græcorum ſupputationi, quæ ex lib. 2 Mach. colligitur, quo ad hunc articulum potius fidem adhibendam exiſtimo: ob id maximè quod hi anni in Epiſtolis *Antiochi*, qui regno Græcorum præfuit, & *Lyſiæ* eius Prouinciarum adminiſtri expreſſi, propter publicam authoritatem magis ſint authentici, quàm aſſignatio annorum per *Ioſephum*, aut illius primi lib. authorem. Nam de *Ioſepho* conſtat eum frequenter in annorum numeris falli. Et quorundam opinio eſt, illum huic primo Machabæorum libro, annos Græcorum indidiſſe, & ſic ex authentico Apocryphum feciſſe: vtcunque hęc ſint, ego potius in meo annorum ſabbaticorum calculo, publicarum illarum epiſtolarum fidem ſecutus, inuenio eos exactè ad meum conuenire computum. Itaque Seleucidarum annum 148 verè ſabbaticum fuiſſe deprehendo: hoc modo, Annus Monarchiæ Perſarum ſecundum Græcorum calculum 114 (vt ſupra probauimus) ſabbaticus fuit, qui & 19 regni *Artaxerxis Memoris* erat, à quo ad initium imperii *Alexandri* numerantur 78 anni ſeptem annis durauit eius imperium, a quo ad initium Seleucidarum regni, anni ſunt duodecim, quibus particularibus annis additis ad 148 exurgit numerus 245 annorum, qui per ſeptenarios diuiſus, poſt 35 annorum Sabbata nullum relinquit ſuperfluum annum. Vnde conijcere licet *Antiochi Epiphanis* interitum potius in annum Seleucidarum 147, quam 149 reponendum: & annum obſidionis Ieroſolymæ ab *Eupatore* in 149 annum. Qui etiam dici ſabbaticus poteſt, ea ratione qua maior eius pars in illum annum Iulianum incidit,

incidit, vt ex annorum computo supra memorato in aliis annis sabbaticis inuenimus. Et adhuc alia ratio est, qua primi lib. Machabæorum & *Iosephi* de annis sabbaticis narratio possit defendi. Nam quoties de annis famis vel annonæ penuria propter sabbatarios annos fit mentio, non semper de præciso illo septimo anno intelligendum venit, sed plerunque potius de octauo, qui est primus sequentis annorum Hebdomadis. Cuius rei causa est, quia ita in lege cauebatur vt cum sexto quoque anno agrorum finita esset cultura, septimo anno terra omnino quiesceret, vt nec latio fieret agrorum nec vindemia: & octauo demum anno agros rursum liceret colere. Ergo necesse fuit, vt sexti anni prouentus pro tribus annis sufficeret, nempe pro sexto, septimo & octauo anno, fructus enim octaui anni donec collecti essent, non poterant in populi vsum conuerti. In octauo ergo anno ante frugum illius anni à solo separationem maxima erat apud Iudæos annonæ penuria. Quod etiam primi Machab. cap. 6. vers. 53. videtur significari, vbi dicitur: Cibaria non fuisse in apothecis propter septimum annum, & quia illi qui seruati erant, & se receperant in Iudæam à gentibus, comederant residuum quod erat repositum; quod de anni septimi residuo intelligendum venit. Nam anni septimi penuria aut fames vtcunque tollerari poterat, quum fruges sexti anni pro eo sufficere possent: sed octauo demum anno difficilior erat toleratu penuria, quum horrea frugibus essent exhausta; & agri etiam cum eo quod supererat essent ferendi. Hoc itaque probè intellecto facile est locos illos in quibus sabbatariorum annorum fit relatio, ad rectum accommodare calculum. His itaque sic examinatis, non magnum

Leuit. 25.

aliquem

aliquem supereſſe putamus de annorum huius octauę Periodi recto calculo ſcrupulum: & ſi qua dubia ſuperſunt ea ad ſequentia de *Danielis* ſeptimanis, earumque recto computo & Periodo referemus. Hoc tamen memorię tenendum ſemper ſuggerimus, (quod & ſupra tetigimus) in Chronologica annorum ſupputatione non vbique annos pręciſos & omninó perfectos intelligendos, ſed aliquot menſibus aut diebus nonnunquam deficientes, quandoque excedentes, qui per prędcedentes vel ſequentes alios annos ſunt æquandi, in qua ęquatione etiam habendus eſt reſpectus ad Ægyptiorum & Iulianorum annorum differentiam. Hoc etiam obſeruandum venit, in annorum Regum & Principum enumeratione, variam à diuerſis eorum initii fieri ſupputationem. Alii enim ab ipſo anni tempore quo regnare inceperunt, eorum annos & regni tempora colligunt, ſed ſuum calculum accommodant ad principium anni qui eſt in vſu publico apud eam gentem cuius resenſentur annales & res geſtę. Sic *Ptolomæus Alexandrinus* & qui eum ſequuntur à *Thoth* menſe primo Ægyptio ſuas ordiuntur annorum obſeruationes, & regnorum Principum initia inde deriuant. Sic (exempli gratia) mortem *Alexandri* ponunt Hiſtorici, non in eum diem quo obiit *Alexander*, ſed in principium anni ſecundum Ægyptios, nempe in primum diem menſis illius *Thoth*, qui eo anno ſecundum Aſtronomos incidiſſet in 12 menſis Nouembris, ſi annus Iulianus tunc in vſu fuiſſet. At *Alexander* (teſte *Plutarcho*) è viuis exceſſit [illegible] menſis die quarto, cui congruiſſet menſis noſtri Maii dies 20. diſtabat itaque verus mortis illius dies ad dimidium anni a *Ptolemæi* & communium hiſtoricorum calculo.

Simili-

Similiter in annis à *Nabonassare* supputandis, vnde *Ptolomæus* omnes suas deducit annorum obseruationes, Principum illius regni a mense *Thoth* Ægyptio perpetuo numerat. Quod obseruandum venit ab his qui in re Chronologica versantur ne aberrent. Nunc superest vt etiam per Græcorum Olympiades rectum calculum annorum huius octauæ Periodi confirmemus: quod facile factu est, si pro Monarchia Persarum annos *Cyri* & *Alexandri* magni inter se conferamus. Nam omnium scriptorum consensu obiit *Alexander* Olympiadis 114 anno primo. Tradunt etiam vnanimiter *Cyrum* regnare cœpisse Olympiadis 55 anno primo, quod de initio ipsius regni apud Persas intelligendum venit, vt supra ostendimus. Regnauit autem annos 30. Iam tollantur à 114 Olympiades 55. remanent 59 inter initium primum regni *Cyri* & *Alexandri* obitum. Qui 59 Olympiades 236 annos constituunt, à quibus ablati 30 anni, regni *Cyri*, & septem *Cambysis*, atque insuper septem regni *Alexandri* relinquunt 192 annos positos a *Ptolomæo*, & Hebræis scriptoribus, pro Persarum Monarchia. Et porro ab Olympiade 114 anno mortis *Alexandri* ad tertium Olympiadis 194 annum, quo anno natus est Christus, vt præter alios testis est *Eusebius* in Chronicis, sunt anni 321, vt cuiuis rectè supputanti patet. Ab his detracti 42 anni, quibus vltimus annus huius Periodi Christi natalem præcedit, remanent 279, quibus additi regni *Alexandri* sex faciunt 285 annos in principio tertiæ partis huius Periodi positos. Differentia autem excessus vnius anni Imperii *Alexandri* ex his quæ supradicta sunt de initio *Alexandri* imperii & varia supputandi annos ratione dissoluitur. Nunc vt hanc octauam sabbatario-

rum annorum Periodum concludamus: reſtat vt ad illam conferamus Iudæorum magnum Cyclum vel Periodum, quam illi habent 6916 annorum (de qua in cap. 2. de numeri ſeptenarii perfectione egimus) ab eius Periodi initio ad ſextum *Ioſuæ* annum ſupputant Iudęi 2310 annos, erat ergo ſeptuageſimus & vltimus captiuitatis Babylonicæ annus, ſeptimæque Periodi ex ſuperioribus calculis annus 3242. & vltimus huius octauæ Periodi cycli Iudaici 3731 qui per ſeptenarios diuiſus nihil relinquit. Qui numerorum calculus confirmatur ex eo quod eius collocatio, annorũ ſabbaticorum numerum exactè demonſtret, & corroboret, atque Cyclum vtrumque ſolarem & lunarem in ſe contineat, qui quibuſque 432 annis in orbem redeunt.

CAP. XVI.

De recta Hebdomadum Danielis nono capite reuelatarum ſupputatione.

IN tota re Chronologica, quæ annos mundi in ordinem redigit, nulla eſt ſanctior, vtilior & magis neceſſaria inquiſitio, quàm ea quę de recta enumeratione annorum 70 ſabbaticorum in *Danielis* vaticiniis ab Angelo (cap. 9.) ipſi reuelatorum, de populi Iudęorum poſt captiuitatem Babylonicam ſtatu & durationis tempore proponitur. Nam ex ea rectè intellecta non modò illius populi vrbiſque Hieroſolymæ inſtauratio, continuatio & finis, ac

ac reip. interitus deſcribitur, ſed etiam via patefit & veluti clauis nobis exhibetur, qua annos mundi, qui poſt ipſam captiuitatem alioqui non ſatis perſpicuè ex aliis ſacrę Scripturæ patefiunt monumentis, eorumque numerum inueſtigemus, & aperiamus, & velut in lucem educamus. Et quod magis eſt, auguſtiſſimum noſtræ ſalutis myſterium de Chriſto ipſiuſque regno, deque aduentus in carne humana & paſſionis tempore non obſcuris indiciis, ſed dilucidè prędicta reperitur adhuc Iudęis latens certitudo. Verum neſcio quo fato, vel potius hoſtis humani generis inuidentia, fiat, vt celeberrima illa Prophetia de exhibendo ſuo tempore Patribus promiſſo Meſſia, deque aliis noſtræ fidei arcanis, adhuc quodammodo in abſtruſa caligine, quod ad rectam ſupputationem initii illius atque finis maneat, inque non paruam veniat decertationem: quæſtioque ſit multum diuque agitata, & nondum ſatis deciſa, ne dicam maioribus difficultatibus, quo magis tractatur, inuoluta, de harum Hebdomadum recta locatione & ordine, annorumque, quæ hiſtoriis horum temporum exactè conueniat aſſignatione, vſque adeo vt in nulla alia inueſtigatione ſe magis exercuerit, & plerumque exorbitare permiſerit, tam veterum, quàm recentiorum licentia, dum vt inde ſeſe extricarent, non ſatis inuenirent, ſicque verè *athlos heracleos* (vt quidam ait) cuius adhuc ſub Iudice lis dependeat. Nam non ſolnm inter ſe variant & diſcrepant ſententiis qui de his annorum ſeptimanis tractationem inſtituerunt, ſed etiam ſibi inuicem contraria in medium attulerunt, præcipuè in annorum & Regum Monarchię Perſarum enumeratione & temporibus aliis plures aliis pauciores reges & annos numerantibus: aliiſque Grecorum,

aliis Hebræorum aut aliorum Chronographorum numeros sequentibus, inque his varia supputantibus interualla. Multum certè me mouit, dum multorum de hac expedienda controuersia scripta legissem: Quod illos non dicam mihi, sed sibi ipsis (vt arbitror) minimè satisfeciſſe deprehenderim, dum in medium multa aliis discutienda relinquerent. Res ergo non solum vtilis, sed Ecclesiæ, & Christiani nominis dignitati magnopere necessaria mihi videtur, vt bonorum & eruditorum ingenia in hoc tandem nodo soluendo desudent: huiusque adeò solaminis plenæ Prophetiæ clariorem patefaciant intellectum: ne amplius eo nomine obstinatis nostræ religionis hostibus Iudæis ludibrium debeamus, qui hanc clarissimam facem obscurare, & ad alios, nescio quos Christus vel Messias, detorquere nituntur; ne verum sui Messiæ aduentum ad tot iam secula elapsum agnoscere & confiteri cogantur, sed alium à spiritu illusionis fascinati frustra adhuc expectent. Quodque magis dolendum est, quidam ex nostris, non infimæ, vt sibi videntur, eruditionis, propter non satis intellectam rectam huius vaticinii annorum seriem & locationem, eo temeritatis prolapsi sunt, vt cum cæcis & cæcorum ducibus Rabbinis, Iudaizantes errorum Magistros sequi non erubescant, eosque in sua præfracta peruicacia potius confirmare, quàm arguere aut conuincere videantur, dum ipsi etiam *Danielis* contextum obfuscantes, & sinistra interpretatione deprauantes, nomen Messiæ non tanquam Christi Seruatoris nostri proprium, sed appellatiuè accipiant, ita vt de quouis Iudæorum principe possit intelligi, quum ipsi interim de quo principe potissimum sentiant, sibi ipsis non constent. Ego verò quod ad me attinet,

tinet, vt ipſius à Deo dilecti *Danielis* verbis, quibus apud *Nebuchadnezarem* Regem vſus eſt me muniam, imo tenuitatis meæ mihi conſcius multo magis mihi applicem, dico & ingenuè profiteor, huius diuinæ Prophetiæ elucidationem, & in ſua annorum ſerie locationem, non propterea mihi eſſe reuelatam, quaſi ipſe præ aliis maiorem habeam ſapientiam, aut diuinorum oraculorum cognitionem, ſed quia Deus eſt in cœlo, qui humilibus dat gratiam, & arcana quibus vult, reuelat, quem ſupplicibus votis imploraui, vt ſi quibus veritatis ipſius ſcintillis me illuſtrare dignaretur huius Vaticinii veram annorum ſeriem & digeſtionem aperiret, nec omnino mea expectatione fruſtratum (ei ſoli ſit omnis laus & gloria) me confido. Qua in re bonorum & non contenſioſorum, ſed veritatem amantium virorum iudicio me ſubmitto. Ceterè nullius cenſuram reformido; quin ſecundum imbecillitatis meæ menſuram magna integritate laborauerim, vt nihil à rectæ fidei analogia aut veritatis tramite, alienum (quamuis nouum videri poſſit) iſtic proponere inſtituerim, ſed Eccleſiæ Chriſti, quantum in me eſt, prodeſſe ſtuduerim. Nec ſi qui diſſentiant illos inuitos in meam cogam ſententiam: mihi ſatis eſt bonum propriæ conſcientiæ & veritatis teſtimonium. Vt ergo ad rem ipſam deueniamus, principio optandum omnibus nobis omnino eſſet qui ad ſacratiſſima hæc myſteria tractanda accedimus, vt aliqua ſaltem portione Spiritus illius à Deo bonorum autore imbuamur, quo abundante præditus erat *Daniel*, cui reuelata fuit hæc Prophetia. Sed quomodo (quæſo) hanc diuinam reuelationem obtinuit? Nempe vt ipſe de ſe teſtatur huius 9. cap. initio dum ait: Adhibui faciem meam ad-

Dominum Deum quęrendo oratione & deprecationibus, cum ieiunio, cilicio & cinere: & orans Iehouam Deum meum confessus sum : mea scilicet & populi mei peccata, celebri illa confessione, quæ eodem capite ad finem vsque versus 19 continuatur. Nos autem imparati vt plurimum, tanquam manibus pedibusque illotis, diuino numine vix aut omnino non inuocato, ad hęc aperienda arcana inuolamus, in hoc profanis Poetis peiores, qui initio suorum Poematum, numina quę ipsi reuerentur, inuocant, quod nobis non minus, sed multo magis quàm ipsis censeo faciendum, ne Spiritus diuini assistentia nostrapte culpa destituti recta Prophetiæ huius elucidatione frustremur. Hoc ergo pręmisso exordio ad verba ipsa contextus *Danielis* accedamus, vbi primo loco, post confessionem cum precatione, occurrit reuelationis ipsius modus, quonam scilicet pacto, illo adhuc loquente, orante, & peccata sua & populi confitente, vir ille *Gabriel* (virum Angelum vocat, nempe qui humana specie illi apparuit) quem priore visione viderat, aduolans illum tetigit sub tempus oblationis vespertinę, hoc est, tempore precibus populi Dei destinato, illum recreauit & confirmauit, ad Prophetiæ huius reuelationem animo ipsius fortius imprimendam. Nam humana imbecillitas ad diuinas visiones excipiendas omnino insufficiens est, nisi Dei ipsius manu non vulgari modo sustineatur, vt huius Prophetæ cap. 8, & Isaię 6. ac Ezech. 1, & similibus locis ostenditur. Deinde sequitur, vt Angelus illum informare cœperit, dicens, O *Daniel* nunc prodii, vt te instruam cognitione. In principio deprecationum tuarum prodiit verbum, & ego veni vt hęc tibi patefacerem, quia desideriorum vir es. In quo videmus

mus quàm promptus & propenſus ſit Deus ad nos in precibus exaudiendos, modo ſinceris & ardentibus affectibus *(vt Daniel)* ad ipſum accedamus. Moxque Angelus ad concipiendam ipſam reuelationem ipſum prę parat, inquiens, Quapropter animaduerte ad verbum, & intellige ipſam viſionem: Multa enim præparatione nobis opus eſt ad cœleſtia oracula animo dignè ſuſcipienda. Tum ſequitur verſ. 24 initium Prophetiæ ipſius *(quæ ad finem vſque capitis continuatur)* vbi Angelus *Gabriel* reuelationem inchoat, dicens; Septimanę ſeptuaginta inciſæ (vel conciſè) ſunt ſuper populum tuum & ſuper ciuitatem ſanctam tuam, ad cohibendam prę uaricationem, &c. Hic per ſeptem ſeptimanas annorum hebdomadas omnes intelligunt, & rectè. Nam Angelus alludere videtur ad ſeptuaginta illos qui preceſſerunt captiuitatis annos. Innuit ergo oraculum, tot ſabbaticos annos, hoc eſt, annorum ſeptimanas futuras in reſtitutione reip. Iudæorum & ciuitatis ipſius Hieroſolymę, populique ſtatu, ad complendum eorum ſcelera & prę uaricationes, quot erant anni in populi deportatione & ciuitatis ipſius deſolatione. Vbi rurſus magna Dei φιλανθρωπία erga Iudæos innoteſcit, vt reſpondeat ardentibus *Danielis* precibus qui de populi & ciuitatis ipſius proſperitate adeò erat ſollicitus, poſt elapſos 70 illos captiuitatis annos à *Ieremia* Propheta prędictos, quibus vrbs ipſa & tota Iudæorum reſp. in deſolatione futura erat: oſtenditur nimirum Deum multis, hoc eſt, ſepties ſeptuaginta vicibus, puta 490 annis, velle rurſus ſtare Iudęorum politiam, vel ſaltem aliquam illorum in ſua terra continuationem, cum tantum 70 ſimplicibus annis pro peccatis illius populi deſerta & deſolata iacuerit. Cuius

cauſa

cauſa poſtea ſubiungitur vt finem poneret, populi illius præuaricationibus, & tandem aduenientè & reuelato Meſſia, deleta penitus & extincta politia illa externa, ſpirituale & ęternum Chriſti regnum conſtitueretur. De his ergo 70 annorum ſeptimanis totus noſter futurus eſt ſermo, quas Angelus hic pręciſè determinatas, & ad hoc in partes ſectas eſſe ait, vel potius inciſas, vt ſupra interpretati ſumus. Id enim verbum Hebręum נחתך hic imperſonaliter poſitum propriè ſignificat, nempe hoc tempus a Deo eſſe certò præfixum, & quaſi decurtandum. Quo etiam nobis inſtructio datur & admonitio, certas à Deo præordinatas & conſtitutas annorum Periodos, vnicuique genti & populo ad finiendum illorum ſcelera & peccata per veram reſipiſcentiam & vitæ emendationem; quod ſi neglexerint, tandem inſtare eorum deſolationem & interitum. Vt Chananęorum gentibus accidit, quibus Deus per 400 annos pepercit, donec complerentur eorum peccata priuſquam eos deleret. Sequitur ergo in oraculo finis deſignatio, nempe ſpatium 70 Hebdomadum determinatum eſſe ad complendum populi Iudaici defectionem, hoc eſt, præuaricationes, & ad obſignandum peccata, adque reconciliandas tranſgreſſiones, & ęternam iuſtitiam introducendam, adque ſigillandum viſionem (hoc eſt, vaticiniorum oracula) & denique ad inungendum Sanctum ſanctorum. Ecce totum tempus quo hæc omnia perficienda eſſent, ſeptuaginta annorum Periodo concluditur, vſque dum Chriſtus in humana carne aduenies ſuum regnum in terris auſpicaturus eſſet: idque vt finem imponeret Deus illius populi defectionibus, peccata expiando, & mundo perpetuam iuſtitiam adducendo,

Gen. 15.

per

per delictorum ſcilicet condonationem, vtque viſiones & Prophetias adimpleret & obſignaret, per Sancti Sanctorum vnctionem. Quę præcipua eſſe Chriſti officia, atque adeo illius ſolius nemo ſanus eſt qui ignorat, quodque Sancti Sanctorum titulus hoc loco illi ſoli competat. Nam ille eſt (teſtantibus paſſim ſanctis Scripturis) qui peccatum mundi tollit, quique ſeipſum in ſacrificium pro peccatis mundi obtulit, nos à peccatis ſuo ſanguine abluendo, Ille (inquam) eſt, qui peccata præterita finiuit, ab illis nos iuſtificando, eademque nobis non imputando, & per ſanctificationem à ſe datam à futuris conſeruando, vt ſi peccauerimus poſthac, ſerui tamen peccati non efficiamur quod lex vetus nunquam præſtare potuit, nempe, vt nos Deo reconciliaret, & perpetuam introduceret iuſtitiam, qua per Chriſti ſacrificium ſemel oblatum, delictorum perpetuo duraris condonatio piis omnibus eſt acquiſita. Ipſe etiam obſignauit viſionem & Prophetiam dum illa ipſo facto (vt loquuntur) perimplendo rata faceret. Nam vt in *Ioannis* Evangelio cap. 3. ſcriptum eſt: Quicunque receperit eius teſtimonium is obſignauit quod Deus (puta in ſuo verbo) verax eſt. Denique in ſpatio illo 70 hebdomadum præfinitum erat, vt Sanctus ille Sanctorum inungeretur: quod egregium diuinitatis ipſius teſtimonium eſt; Nam ex eo nomen ſumpſit, vt Meſſias vel Chriſtus appellaretur. Nam ſpirituali præ omnibus ſuis conſortibus in Regem, Sacerdotem & Prophetam à Deo Patre Princeps ſalutis noſtrę vnctus eſt, deſignatus & conſecratus. Ipſe denique Sanctus ſanctorum eſt, hoc eſt, omnis ſanctificationis fons & origo, ex cuius plenitudine nos omnes accepimus vt

Ioan. 2. Heb. 9. Apoc. 1.

Pſal. 45. Iſa. 61.

1. *Cor.* 1. *Ioh.* 3. Sancti reputemur. Non enim dedit illi Deus ſpiritum ad menſuram, vt multa paſſim in has ſententias epitheta illi attributa occurrunt. Et hęc quidem in genere, de tota Hebdomadum illarum Periodo & complemento: & quęnam bona in iis Chriſtus non ſolum Iudęis in eum credentibus, ſed toti mundo exhibiturus eſſet. Poſtea verſ. 25, particulari ἀναμνήσει, ad ſpecialem præcedentium explicationem deſcendit Angelus per magis particularem temporis deſignationem, primum tempus ipſum oſtendens vnde ducenda ſit harum 70 Hebdomadum ſupputatio, dicens: *Cognoſcito igitur & intelligito, ab enunciatione verbi de reſtauranda, & ædificanda Hieroſolyma vſque ad Chriſtum Principem, fore ſeptimanas ſeptem, & ſeptimanas ſexaginta duas, quum rædificabitur platea & murus cum foſſis: & erit in anguſtia temporum.* Inchoanda ergo eſt Hebdomadum 70 enumeratio, ab exitu verbi, vel decreti de rurſus ædificandis Hieroſolymis: quod ego cum aliis ſententię meæ aſtipulatoribus vigeſimo *Artaxerxis Mnemonis* anno cenſeo promulgatum, quod & poſtea euidenter docere intendo. Nam hic nihil de populi reductione, vel Templi ædificatione habetur, ſed tantum de rurſus ædificandis Hieroſolymis, quod per ipſa verba Hebręa לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת patet, quæ nihil aliud vel ipſo *Hieronymo* Interprete quam ad rurſus ędificandum ſignificant: vt ſimiles phraſi hebraica locutiones Gen. 26. verſ. 18. Zach. 6. verſ. 1. Malach. 1. verſ. 4. & alibi occurrunt. De eo ergo ſolùm mandato vel licentia *Nehemiæ* data ab *Artaxerxe* cui ille inſeruiuit (quod eiuſdem *Nehemiæ* 2. continetur) verba Angeli, per ſe ſatis clara, ſunt intelligenda. Namque ibi verſ. 8. ſcribitur: *Regem dediſſe poſtulata Nehemiæ per bonam Dei*

Dei ipsius manum quæ cum eo erat: vt scil. ei liceret ædificare ciuitatẽ sepulchrorum patrum ipsius, nempe Hierosolymam. Quumque Rex assidente ei Regina coniuge (quam *Hesteram* fuisse ex circumstantiis apparet) *interrogaret de tempore profectionis & reditus illius, ipseq; tempus assignasset, petiit à Rege literas quoque ad* Asaphum *custodem saltus Regis* (id est, *Libani*) *vt ligna illi daret, ad contignandum portas castri adiuncti ædi* (*sacræ*) *& admurum ciuitatis, & ad domum quam ingressurus esset ipse* Nehemias: *Rex omnia petita dedit ei.* Ex quo manifestum est, nihil *Nehemiæ* fuisse negatum, quod ad plenam Hierosolymæ instaurationem, & murorum eiusdem ædificationem pertinebat, quod nusquam prius & nusquam alibi concessum legitur. Hinc ergo procul dubiò sumendum est exordium supputationis *Danielis* Hebdomadum, ex verbis ipsius Angeli, qui ab enunciatione verbi de reædificandis Hierosolymis supputandas septimanas illas disertè indicat, qua de re postea plura erunt dicenda.. Iam sequitur in contextu de partito hebdomadum numero, nempe quod ab illa verbi enunciatione vel emissione futuræ essent septem septimanæ, & sexaginta duæ septimanæ, ad Messiam Principem, & decursurę erant à tempore quo reparārentur plateæ & fossa siue muri ciuitatis. Septem ergo & 62 hebdomades, hoc est, in summa 69 septimanas assignat Angelus ad Principis Messiæ patefactionem, & ad ciuitatis Hierosolymę continuationem. Nam duo hæc simul in hoc 25 vers. iuncta sunt. Et maxima Scriptorum eruditorum pars in hoc consentit, septem has & 62 septimanas vno contextu currere, ita vt 69 in integrum constituant: idque non obstante puncto *athnah*, quod sub voce hebręa שבעה locatur. Nam fa-

teor eam distinctionis notam esse, sed non eo modo quo aliqui intelligunt, vt fiat à prioribus septem septimanis posteriorum 62 in hoc vers. 25 supputandi separatio, sed propter subdiuisionem quæ sequenti 26 vers. ponitur, vbi oraculum omissis septem, de 62 septimanis per se particulatim meminit, quæ scilicet currerent à principio ipsarum 70 hebdomadum ad Christi mortem vel excisionem. Nam versus iste 25 velut præparatio est, vt viam sternit ad verum sequentium versuum, nempe 26 & 27 intellectum: quibus δι' ἐπεξεργασίαν particularior fit hebdomadum distributio, separans septimanas 62 à septem. Integer ergo numerus 69 hebdomadum in hoc 25 versu, coniunctim effluxurus intelligendus venit, ad Messiæ Principis manifestationem post ciuitatis Hierosolymæ restaurationem & Iudęorum reipublicę erectionem. Sed quid per vocem בניך hic intelligatur, quam oraculum ad Messiæ ipsius designationem applicat, quęstio est. Multi enim nihil aliud intelligunt quàm hoc epitheton Christo tribui eo respectu, quia Princeps à Deo Patre constitutus est. Sed nos alio modo hoc loco nomen Principis accipere conuenit. Nam quamuis Christus ab æterno cum Patre principatum habuit, non tamen iuxta *Pauli* dictum Rom. 1. declaratus est filius Dei potenter per spiritum sanctificationis Dominus ille noster Iesus Christus nisi post ipsius à mortuis resurrectionem. Proinde vbi dicitur in oraculo tot fore septimanas ad Messiam Principem, idem est ac si diceretur, ad tempus quo Christus vt Princeps inciperet regnare: quod circa annum 37 post ipsius resurrectionem per publicam Euangelii ipsius prędicationem contigit: sed plenius tandem circa annum 44, qui erat illius à

natiuitate

natiuitate annus 78 quum omnino deſtructa Iudęorum republica, & eorum euerſa tota politia, ceremoniis Legis Moſaicæ ceſſantibus, nouus Legiſlator Chriſtus in ſuo regno cœpit apparere, & à mundo agnoſci. Nam tunc iuxta Patriarchæ *Iacobi* vaticinium ſceptrum in tribu Iuda tranſlatum eſt ad Schilo, vel potius שילה, hoc eſt, ad illum ad quem iure pertinuit: ad quem prædicit populos ſe collecturos. Quod & *Ezechiel* Propheta cap. 21. 31. confirmat, quum illum qui altus fuit deprimendum & depreſſum exaltandum prędicit, & cidarim à priore tollendam: Peruerſam enim, ter inquit, reddam illam. Nam hęc eius non futura eſt donec is venerit cuius eſt, hebraice אשר־לו, vel ad quem pertinet, nempe Meſſiam innuens, vt reſpondeat huic *Schelo* Patriarchę *Iacobi*: quam vocem interpretes (vt hoc obiter dicam) in eo loco pro nomine proprio accipiunt, vel alienum neſcio quem ſenſum eruunt, quum nihil aliud quám illud *aſcher lo* apud *Ezechielem* ſignificet. Nec obſtat motio *Hiric* pro *Tſeri* in vulgo nunc impreſsis Bibliis ſub litera *Schin* & *He* non *Vau* in fine cum puncto *Holem* ſuprapoſito. Nam conſtat initio hebręos nulla puncta vocalium habuiſſe, & facile fuit vnum punctum loco plurium ſub hac litera irrepſiſſe. Et quod ad finem vocis *Schelo* attinet, *He* loco *Vau* poni non inſolens eſt. Sed hęc quilque vt lubet (per me licet) accipiat, ſi nec mea, nec *Ezechielis* ipſius explanatio ſatisfaciat. Vt ergo ad rem de qua agimus, redeam, dico in Prophetia *Danielis* per vocem *Nagid*, quæ Principem, vel propriè ducem ad quem reſpicit populus, ſignificat, Chriſtum regnantem denotari: Nam non ante ſui populi dux propriè dicendus erat, niſi cum completis 69 ab initio oraculi

ſeptimanis annorum ſuum regnum eo quo dictum eſt modo inchoare cœpit & propagare, quamuis ante naturam noſtram induiſſe, & pro noſtra ſalute paſsim fuiſſe conſtet: Non enim niſi poſt reſurrectionem, quum victor de morte triumpharet, & nouum ſpirituale regnum erigeret, nomen illud ducis ſibi vindicauit. Nec ſolùm Chriſtiani Scriptores, ſed & Hebræorum doctiores & ſaniores ſic vocem hanc de Chriſti regno exponunt & intelligunt. Inter quos Author interpretationis Hieroſolymitanę, non ſolum ita ſentit, ſed etiam *Iacobi* Vaticinium eo modo quo ego vocem *Schelo* interpretans explicat. Quin & communis opinio inter antiquos Iudęos ipſos fuit circa tempora deſtructionis Templi Meſsiam Regem venturum. Sed illis omiſsis qui venientem in ſua Chriſtum non receperunt, illorum ſententiæ lubenter accedo, qui de duplici Chriſti aduentu ex ſacris Scripturis loquentes, priorem accipiunt eum qui in humilitate fuit, cuius *Zacharias* Propheta meminit, inquiens: *Lætare valde filia Sionis, clange filia Hieruſalem, Ecce Rex tuus aduenit tibi, iuſtus & ſalutaris, pauper & inſidens aſino, pullo aſinæ ſubiungis.* De illo etiam priore humili Chriſti aduentu exponi poſſunt verba illa quæ verſ. 26 huius Prophetiæ *Danielis* habentur, vbi dicitur, Chriſtus excidetur, ואין לו hoc eſt, & nihil erit illi: quamuis alii non ineptè interpretentur, & non ſui cauſa. Sed pro priore ſenſu faciunt dicta *Iſaiæ* Vatis, cap. 53. *Non erat ei ſpecies neq; decor: Et nos exiſtimauimus eum à Deo percuſſum & afflictum, quum verè languores noſtros ipſe pertulerit, &c.* Quod etiam non incommodè ad Chriſti diſcenſum ad inferos in Symbolo Apoſtolico, meo iudicio, referri poſſe videtur. Alter verò Chriſti aduentus

Zac. 8.
Math. 21.

in

in ipſius gloria & exaltatione fuit, quo in regnum ſuum ingreſſus eſt, & per Evangelii ſui beneficium ſe principem & caput Eccleſiæ ſuæ patefecit. De hoc aduentu hic Angelum loquutum eſſe ſententiæ multorum & magnorum Theologorum conſonum eſt. De quo etiam tempore ipſum Chriſtum prædixiſſe intelligunt, quum diſcipulis ait: *Amen dico vobis, ſunt quidam ex his ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in ſuum regnum.* Mat. 16. Et alio loco diſcipulis à ſe miſſis, inquit: *Non complebitis omnes ciuitates Iſraelis, priuſquam filius hominis veniet.* Mat. 10. Et apud Iohannem ait Petro de ipſo Ioanne: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Vnde ſermo exiuit inter Diſcipulos, quod Diſcipulus ille non moreretur. Ioan. 21. Hæ & ſimiles loquutiones per Chriſtum ipſum prolatæ poſt primum eius in carne aduentum, alium ſecundum indicant poſtea futurum ipſius aduentum. Quod non magis vlli tempori conuenire poteſt, quàm illi in quo ciuitatis Hieroſolymæ & templi Dei facta eſt deſolatio. Quo ſcilicet tempore Chriſtus non ſolum Princeps in ſuo regno apparuit, ſed etiam ſeruus, iudex, & vltor aduerſus impios & obſtinatos Iudæos, extremas ipſis ingerens calamitates propter ipſius reiectionem, crucifixionem, & Eccleſiæ ipſius perſequutionem. Ad hunc etiam ſecundum aduentum pertinet, quod Chriſtus ipſe diſcipulis reſpondit de Templi ſtructura mirantibus: quod futurum eſſet, vt nec lapis ſuper lapidem ex illo relinqueretur. Et illis rurſum quærentibus, quando hæc ventura eſſent, & quod ſignum eſſet ipſius aduentus & finis mundi, tria hæc ſimul iungentes, Templi deſtructionem, Chriſti aduentum, & mundi finem. (In quo apparet illos veteri Hebræorum opi- Mat. 24.

nione

nione fuiſſe imbutos de templi in Chriſti adventu deſtructione, & in eo tempore mundi totius ſtatus immutatione, & per Chriſti regnum renouatione.) Ibi Chriſti reſponſio non multum ab illorum interrogatione abludit, dum hæc duo iungit, Hieroſolymæ euerſionem & mundi finem: quia ambo illa totumque illud tempus ad Chriſti regnum & ſecundum illius aduentum pertinebant. Nam verum quidem eſt totum regni Chriſti tempus vſque ad mundi conſummationem in ſacris Scripturis nouiſſimum tempus vocari, vt 1. Cor. 10. 11. Heb. 1. 1. & 9. 26. Sed illud quod dicebat generationem hanc in qua erat tranſituram donec hæc fierent, ad deſtructionem Ieroſolymæ & initium ipſius aduentus in regnum ſuum proculdubio referendum eſſe. Neceſſe enim erat ante tranſitum vnius generationis hęc verba ipſius Chriſti perimpleri, quod & ante mortem Euangeliſtę *Ioannis* contigit: Nam ille vſque ad tempora *Traiani* vixiſſe traditur. Intra hoc ergo temporis ſpatium oportuit ſecundo ipſius Chriſti aduentu Euangelii eiuſdem prędicationis tuba paſſim, tam inter gentes, quàm Iudęos reſonante, veterique & terrena Ieroſolyma deſtructa, nouam & cœleſtem ciuitatem in piorum cordibus ędificari. Ad cuius propagationem & incrementum Chriſti & Apoſtolorum ipſius ante eius mortem & reſurrectionem prędicatio, tantum prępparatio hominum erat ad venturum ipſius regnum recipiendum & amplectendum. Vnde prima prędicatio non tantum *Iohannis* Chriſti pręcurſoris, ſed etiam Chriſti ipſius fuit: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum, hoc eſt, hominum vocatio per Euangelium mox in orbem terrarum promulgandum. In quem ſenſum poſſunt applicari

plicari ea quæ in hac *Danielis* Prophetia ſuperiore 24. verſ. habentur, nempe tempore durationis harum 70 Hebdomadum, de abolitione peccati, afferenda per Chriſtum reconciliatione, & iuſtitia perpetua introducenda. Nam Chriſtus ipſe (vt apud *Ieremiam* vocatur) iuſtitia noſtra eſt. Et de abolitione Viſionis & Prophetiæ idem ſentiendum eſt. Nam Viſiones & Prophetiæ de Chriſto non ante inchoationem regni ipſius perfectè fuerant perimpletę. Poſtremo vnctio illa Sancti Sanctorum quę ſpiritualis erat, qua Chriſtus præ ſociis inunctus fuit, aptiſſimè ad illam regni Chriſti manifeſtationem referri poterit & referenda eſt: Hæc altius repetere neceſſarium duxi, vt quid per Meſſiam Principem hoc loco oraculum intelligat perſpicuè omnibus innoteſcat. His ita conſtitutis parum difficultatis ſupereſſe video in reliqua huius 25 verſus parte, vbi dicitur, Rurſum ędificabitur plateis & muris. Nihil enim aliud ſignificat hęc oraculi clauſula niſi durantibus illis ſeptem & 62 ſeptimanis ciuitatis ipſius Ieroſolymæ muros & foſſas, vicos & plateas, in integrum reſtituendas, ita vt nihil ad ciuitatis illius perfectionem deeſſet: id tamen in anguſtia temporum. Quo innuitur, quod quamuis ciuitas reędificata ita ſtaret & remaneret vſque dum circa finem ſeptimanarum 69 illarum, quæ ex ſeptem & ſexaginta duabus conſurgunt, non tamen citra difficultates, multaſque anguſtias & tribulationes, maximè poſt Magni illius *Alexandri* mortem, quum diuiſum eſſet eius imperium, & eſſent bella continua inter illius ſucceſſores, prędertim inter Ægypti & Syriæ Reges, quum Iudæa in medio interiecta vtriſque prędæ erat: de quibus afflictionibus multa in libris Machabęorum commemorantur

ab *Antiochi Epiphanis* tyrannide & illius ſucceſſoribus illata, & poſtea à Romanis. Inter tamen hęc mala & pericula, vt hic diuinum pollicetur Oraculum vrbs Ieroſolyma ſtetit incolumis, nec politia Iudaica prorſus interiit durantibus illis à diuino Spiritu prędictis. Qui Iudæorum ſtatus imaginem veræ Eccleſiæ nobis repræſentat: quæ quamuis ſub cruce aſſiduè exerceatur & iaceat, non tamen omninó ſuccumbit, ſed potente Dei manu ſuſtentatur & perſeuerat: quod magno piorum cedit ſolamini, noſque hodie contra tot Eccleſiæ Chriſti hoſtes animare debet & erigere. Nunc ſequitur 26 verſus: In quo Angelus particulari *Epexergasia* & ſubdiuiſione hebdomadas ipſas 70 diſtribuit, à maiore numero, nempe 62 incipiens; dum ait, Poſt ſeptimanas illas ſexaginta duas excidetur Chriſtus, &c. vbi per Chriſti exciſionem mortem ipſius, nempe crucis mortem, dubio procul ſignificat, illum ſcilicet à ſuis occidendum, & quaſi ad nihilum redigendum. Circa quorum verborum & temporis deſignationem fruſtra laboratur, niſi intelligamus has 62 hebdomadas ſub 70 verſu 24 nominatis, in partium ipſarum ſubdiuiſione præponendas, propterea ſeptem illas verſ. 25 prius nominas hic omitti. Ac ſi diceret Angelus, Ex illis ſeptem & 62 ſeptimanis prius expreſſis quæ 69 efficiunt, primum aſſumendæ per ſe ſunt 62 per ſubductionem particularem, antequam de ſeptem reliquis fiat mentio, quæ tempus deſignent inter totalium 70 hebdomadum initium & Meſſiæ ipſius mortem. Et ſi quæratur, quid ergo de ſeptem reliquis ſeptimanis fiet, quę ex 69 adhuc ſuperſunt? dico illas ad poſteriora tempora poſt Chriſti baptiſmum referendas, & de eo quod ſequitur in contextu, nempe de tempore finalis

ciuitatis

ciuitatis & Sanctuarii deſtructionis eſſe intelligendas: Quod in ſequentibus latius declarabitur. Dico ergo, & conſtanter non abſque ratione affirmo, 62 Hebdomadas hoc verſu nominatas in numero totali 70 primo loco numerandas, quamuis præcedente 25 verſu ſeptem ipſis 62 præmittantur. Nam pro illis 7, ſumendę ſunt ſeptem reſiduæ ex 69, quæ poſt maiorem numerum 62 hebdomadum remanent, quæ non ante ſed poſt 62 maiorem numerum ſupputentur. Sed qua ratione, inquies, quum ſeptem expreſſè verſu 25 priore loco ponantur, & à 62 per *diaſtolen* ſeparentur? Vt ratio qua ad hoc neceſſariò inductus ſum omnibus innoteſcat, pro meliorè elucidatione huius ordinis quædam mihi præmittenda ſunt, & altius paulo repetenda. Primum ergo obſeruandum venit hanc hebręis familiarem eſſe conſuetudinem, vt tam ſcribendo quàm loquendo, in numeris annorum vel aliarum rerum, minorem numerum maiori præponant, quamuis maior numerus prius in ordinem computi veniat. Nam cum illi contraria Græcis & Latinis conſuetudine à dextra in ſiniſtram, & ſcribant, & legant, ideo à dextris inchoantes à minoribus notis & numeris ad maiores progrediuntur. Quemadmodum ab inferioribus ad ſuperiora loca aſcendere ſolemus. Illud tamen interea conſtat maiora minoribus naturaliter præferenda. Id etiam patet in notis illis arithmeticis à nobis quoque communiter vſurpatis. Nam ſi (exempli gratia) annum Domini currentem 1604 ſcribamus noſtro more legentes eſſe milleſimum ſexcenteſimum & quartum annum, Hebręi ſuo more à minore numero nempe 4, inchoantes dicerent, quatuor & ſexies centum & mille anni. Et hoc etiam nos in addendo & multiplicando arithme-

ticè obseruamus, á minoribus numeris inchoantes. Contra autem in subducendo vel diuidendo á maioribus numeris detrahere incipimus. In quo videre licet mirum naturalium rerum ordinem. Nam si cumulus aliquis (docendi gratia) nobis augendus fuerit, semper id quod adiicimus quamuis minus fuerit, cumulum ipsum excrescere & ascendere facit: Contra, si idem cumulus diminuendus fuerit, per partium subductionem eundem subinde descendere & subsidere facimus, donec tandem totus finiatur cumulus. Vt ergo hęc ad nostrum institutum applicemus, exempla quædam è sacris Literis petenda sunt, ex quibus constet hanc numerandi rationem Hebręis omnino esse vsitatam. Genes. cap. 5. vers. 3. dicimus Latinè more: Et vixit *Adam* centum triginta annos & genuit filium. At Hebræa habēt וּמֵאָה שָׁנָה וַיְחִי אָדָם שְׁלֹשִׁים hoc est, ad verbum: Et vixit *Adam* triginta & centum annos, & genuit, &c. Qui numerus notis arithmeticis sic exprimitur 130, vbi cyphra vel circulus primum locum scribendo obtinet, vt á qua ad maiores notas addendo proceditur. Similiter eodem cap. vers. 6. nos legimus, Vixit *Seth* centum & quinque annos: Hebręi autem dicunt שְׁבִים וּמֵאָה שָׁבָת וַיְחִי־שֵׁת חֹמֵשׁ hoc est: Et vixit *Sheth* quinque annos & centum annos. Et (quod simile nostro instituto numerandi conuenit) vers. 15. vbi latinè dicimus, Vixit *Mahalael* sexaginta quinque annos, & genuit *Iered*, Hebræa habent ad verbum. Et vixit *Mahalael* quinque annos & sexaginta annos. Hic videre licet quoque minorem numerum scribendo & legendo maiori sexaginta præponi: quum tamen nostro more posteriore loco numeretur. Sic vbi in adducto nostro *Danielis* loco dicitur נִים שְׁבָעִים שְׁבָעַת

ושבעים ששים ושׁ ad verbũ, ſeptimanę ſeptem & ſeptimanæ ſexaginta duæ: Vbi Latinus non inepte diceret, Sexaginta duo & ſeptem Sabbata. Hebræi ergo per additionem aſcendunt, vbi minorem numerum maiori præponunt, Latini contra. Et tamen tam Hebræi, quam Græci & Latini, dum per partes numeros diſtribuunt, maiorem numerum primo loco ſubtrahunt: vt fit in hoc 26 verſ. vbi particularis fit ſeptimanarum diſtributio: Primo loco (omiſſis ſeptem) 62 Hebdomades nominantur, & numerantur ad id tempus poſt quod immolandus eſſet Chriſtus. Et ſtatim hoc ipſo verſu ſequitur: *Ciuitatem ipſam & Sacrarium deſtruet populi Princeps vel dux venturus, vel* (vt *Tremellius* interpretatur) *perdet populum antecęſſoris venturum.* Ita vt verbum *venturum* ad populum referatur, qui tunc futurus eſſet. Sed ego potius de principe ipſo venturo interpretor, nempe de Meſſia ipſo qui ſuo ſecundo aduentu, de quo ſupra affatim dictum eſt populum ſibi rebellem, & non recipientem in propria venientem perderet & deſtrueret. Itaque hic נגיד Dux vel Princeps populi, Chriſtus ipſe eſt intelligendus. Quamuis illam vocem ad Romanorum ducem vel principem multi referant Interpretes, nempe *Titum* vel *Veſpaſianum.* Sed non veriſimile eſt nomen נגיד verſu ſuperiore 25 pro Chriſto accipi, & ſtatim hoc verſu pro alio Principe vel Ductore. Cæterum in interpretatione a me adducta optimè fluit contextus. Innuit enim Chriſtum ſui populi ducem & principem, quum in ſuum regnum veniret poſt ipſius triumphalem reſurrectionem, non tantum populi ſui ei morigeri placidum Principem futurum, ſed etiam inimicorum vltorem & deſtructorem, iuxta illud quod ipſe de ſe in

Luc. 19. Parabola de illis qui dicebant: *Nolumus hunc regnare ſupra nos, pronunciat quum rediret accepto regno: Iuſsit enim vocari ſeruos illos ad ſe, quibus dederat pecuniam ad negotiandum, & quum ab vnoquoque illorum rationem commiſſorum exegiſſet*, poſtea ait: *Quinetiam meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite huc & iugulate coram me.* Quæ etiam vindicta Deo Patri tribuitur, dum dicitur in Pſalmo: *Dixit Iehoua Domino meo, Sede ad dexterã meam donec poſuero inimicos tuos ſtabellum pedum tuorum.* Ad quæ benè congruunt hęc quæ in hoc 26 Danielis verſu ſequuntur, dum dicitur, *Iudæorum deſtructionem illam fore cum inundatione, & ad finem vſque belli deciſam deſolationem.* Quibus verbis indicat ſeueriſſimum Dei iudicium in illum populum exundaturum inſtar diluuii vſque ad illorum extremam internecionem. Tempus autem illius Iudæorum extremæ deſolationis futurum innuitur circa finem poſteriorum ſeptem Hebdomadum annorum quæ poſt 62 Hebdomadas relinquentur ex integro 69 ſeptimanarum numero. Siue ergo ſeptem ſeptimanas illas, quæ verſu 25 priore loco nominantur ſexaginta duabus in numerando more hebraico poſtponantur, vt innumera ſimilia occurrunt in ſacris Scripturis exempla, ſiue integrum numerum ſeptem & 62 ſeptimanarum in vnam ſummam colligamus, ita vt 69 Hebdomadas conſtituant, & deinde ex illis 62 ſubducamus, quæ hoc 26 verſ. inter initium 70 integrarum Hebdomadum, & Chriſti exciſionem ponuntur, ni idem redit calculus. Nam omnino nunc poſt 62, ſeptem relinquuntur ſeptimanæ ex 69 in quibus hęc poſtrema Iudęorum deſolatio finienda erat. His nunc diutius immorari non opus eſſe puto. Nec tam multis

tis inſtitiſſem niſi vt firmis rationibus hanc receptam opinionem de ſeptem ſeptimanis, ſexaginta duabus præmittendis, & in hoc 26 verſu repetendis (quamuis non exprimantur) & in Hebdomadum ipſarum initio & ſubdiuiſione primo loco ponendis, animus hominum eximerem & eradicarem. Nec nouum hoc videri debet, quod communi ſacrarum Literarum phraſi & loquendi conſuetudini conſonum & familiare eſt. Vt ergo huius 26 verſus expoſitionem concludamus, videmus hic expreſſè ſeparatas 62 hebdomadas ad Chriſti exciſionem referri. Nam tot erant annorum ſeptimanæ ab enunciatione verbi vel decreti ab *Artaxerxe Mnemone* 20 regni ipſius anno, promulgati ad paucos, nempe quinque aut ad ſummum ſex ante Chriſti mortem annos, anni ſcilicet 434 ad vigeſimum nonum ætatis ipſius annum extenſi: vt ex particulari annorum computo poſtea deducendo patebit. Ego itaque ſic colligo, ſeptem illas ſeptimanas quæ verſu iſto non repetiuntur, poſteriores eſſe in calculo & poſt Chriſti exciſionem numerandas. Ita vt ab illius paſſione & non ante illarum inchoetur ſupputatio, & terminentur cum extremo gentis Iudæorum & eorum politiæ interitu circa annum Chriſti 77 aut ad ſummum 84. Et quamuis in hoc ſupputationis ordine neminem hactenus inuenerim qui expreſſis verbis mihi patrocinetur, tamen eiuſdem meæ calculationis quæ ad initium & finem harum 70 hebdomadum adſtipulatorem inuenio ſummæ eruditionis virum *Ioſephum Scaligerum* ſolertiſſimum temporum indagatorem: qui quamuis ipſe ſeptem illas hebdomadas quę prius verſ. 25 nominantur ſexaginta duabus poſtponendas in ordine numerandi non animaduertit, multa tamen habet quæ

lib. de emen. temp. cap. 6. De Danielis hebdomadis.

pro

pro nostro calculo stabiliendo & confirmando meritò possunt adduci : vt cum ait ipsum *Danielem* de exitu & Periodo 70 earum hebdomadum perspicuè & dilucidè scribere, quum inquit, Septuaginta hebdomadas determinatas super populo ipsius *Danielis* & sancta ciuitate. Hebdomadæ ergo (ait) desinunt in excidium Ierosolymorum, & reipublicæ Iudaicę interitum, quasi diceret oraculum, quadringentos nonaginta annos stabit vrbs Ierosolyma, administratio & magistratus eius. Recte. Ab instaurandis Ierosolymis incipiunt hebdomades, in Ierosolymę excidium terminantur. Neque enim frustra caput hebdomadum ad Ierosolymorum incolumitatem pertinet, quum earum finis ad eiusdem vrbis casum & deletionem pertineat. Hęc ille. Quid clarius & dilucidius pro nostra hac stabilienda hebdomadum locatione earumque principio & fine dici possit non video. Eiusdem ante ipsum sententiæ est *Iulius Africanus* antiquus Scriptor & probatus Author, (qui referente *Eusebio*) libro quinto τῶν χρονικῶν de inchoatione harum hebdomadum loquens, ait, Si ab aliquo alio Principio numerare incipiamus has 70 hebdomadas, quam à 20 *Artaxerxis* anno οὔτε ὁ χρόνος συνδραμεῖται, καὶ πλεῖστα ἄτοπα ἀπαντήσει, neque tempus concurrit, & multa absurda obuia erunt. Idem rectè & verè *Nehemiam* ab *Artaxerxe* missum ait, vt ędificaretur Hierusalem anno regni Persarum centesimo & decimoquinto, qui fuit regni ipsius *Artaxerxis* annus vigesimus. *Eusebius* quoque ipse fatetur, Si Iudęorum numeros sequamur ab *Artaxerxe* 70 hebdomadas ad Christi tempus peruenturas. De principio ergo 70 hebdomadum hi mecum sentiunt, quamuis multi aliter eas incipiant : De fine etiam 70 hebdomadum

multi

multi mecum sunt authores. Nam præter recentiores in ea sunt sententia, *Tertullianus*, *Severus Sulpitius*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Chrysostomus* & alii. His itaque animadversis parum difficultatis superesse video, quin omnes intelligant me recte statuisse harum 70 hebdomadum initium in vigesimum *Artaxerxis Mnemonis* annum (quod per historicam annorum supputationem etiam postea clarius patebit) earumque finem in vltimo termino ruinæ Iudæorum reipublicæ statuisse, & in earundem ordine primo loco numerandas 62 illas hebdomadas quæ ad 29 Christi annum inclusum extenduntur. Deinde sequitur hebdomada illa singularis, cuius versu 27, hoc est, vltimo huius 9 capitis *Danielis* fit mentio, quæ de Christi beneficiis & mortis præciso tempore loquitur in hæc verba. Confirmabit autem fœdus multis hebdomade vna: In medio verò septimanæ ipsius abolebit sacrificium & oblationem. Quæ singularis hebdomas à Christi anno 29 incipiens & in 35 desinens per se intelligi potest vt compleat 70 septimanarum numerum, post quem numerentur septem aliæ hebdomades quæ sic in 84 Christi annum desinunt, circa quod tempus extrema facta est Iudæorum gentis exterminatio, & Christi Euangelium latius cœpit propagari. Sed ego potius cum aliis quibusdam ex eruditis censeo numerum hic integrum seu rotundum pro abrupto poni. Dico itaque hanc per se nominatam septimanam tanquam primam ipsarum septem, quæ 49 annos conficiunt, accipiendam, ita vt septimanæ ipsæ *Danielis* ad Christi annum 77 tantùm extendantur. Nam circa illum annum extrema facta est Iudæorum gentis desolatio, & Christi Euangelium latius, non tantùm inter Iudæos, sed gentes

etiam cœpit incrementum. Sic itaque 69 tantum hebdomadas numerandas omissa integra illa vltima 70 septimanarum hebdomada. Ad quod sentiendum maximè moueor Christi ipsius Seruatoris authoritate, qui apud *Matthæum* cap. 24 de hac *Danielis* Prophetia loquens, & de abominatione illa vastatrice ab ipso Propheta prædicta: *Quum* (inquit) *hanc videritis positam in loco sancto, tunc qui in Iudæa fuerint, fugiant in montes, & qui supra domum non descendat, vt quicquam inde tollat, & qui in agro non reuertatur vt vestimenta tollat. Væ autem fore vterum ferentibus, & lactantibus per illos dies: Et orare suos hortatur ne fuga illorum fieret in hyeme, vel in die Sabbati: Nam tunc ostendit futuram oppressionem magnam qualis non erat à principio mundi ad hoc vsque tempus, & nisi curtandi essent dies illi periret omnis caro, sed propter electos contrahendos* (vel abbreuiandos) *illos dies.* Quibus verbis expressum facit tempus in *Danielis* Vaticinio prædictum, propter imminens electis periculum decurtandum, vt maturè se ab illo tanquam ex incendio eriperent: futurum enim nisi tempus illud (puta 70 hebdomadum annorum) abbreuiaretur, vt tota Iudæorum natio funditus periret. Sed inter eos certus erat electorum numerus propter quorum salutem Deus tempus ipsum afflictionis præcideret. De quibus Iudæorum afflictionibus & calamitatibus abundè apud *Iosephum* in suis de bello Iudaico libris, & eiusdem de antiquitatibus fit narratio. Ad hoc confirmandum facit verbi ipsius hebraici נחרצה significatio: Quod (vt supra tactum est) impersonaliter positum incisum vel concisum esse designat, & non malè à veteri interprete (abbreuiatum est) transfertur. Vnde & ex aliis sacræ Scripturæ locis similibus colligi potest

test temporis abruptionem ex ipsius *Danielis* septimanis esse intelligendam, nempe integræ hebdomadis vltimæ, pluriumue vel pauciorum annorum à Deo ipso in cuiuis manu sunt tempora esse factam: fateor tamen rem non adeo magni esse momenti vtro modo harum hebdomadum finem numeremus, modo intelligamus vtraque numerandi ratione illud completi quod ab oraculo prędictum erat, nempe intra 70 annorum septimanas Angelico nuncio *Danieli* reuelatas, Iudæorum extremam futuram desolationem, & regni Christi per Euangelii prędicationem ab ipsius resurrectione exaltationem. Nam quamuis circa annum Christi 72 aut 73 facta est Hierosolymæ expugnatio, vrbisque cum templo per *Titum* destructio, non tamen penitus ad aliquot postea annos Iudęorum facta est vbique strages, & eorum terræ finalis desolatio. Iam quod in contextu dicitur, Christum confirmaturum fœdus multis hebdomade illa vna, ad Euangelii per ipsum Christum & Discipulos prædicationem tempore ipsius in terris conuersationis apertè & euidenter referendum est. Et quod in dimidio ipsius hebdomadis dicitur Christum facturum vt cessent sacrificia & oblationes, hoc dubio procul impletum est, quum ille seipsum in sacrificium offerens legales oblationes & sacrificia abolouit, in dimidio vel circa dimidium illius hebdomadis, & de pręciso tempore mortis illius intelligendum est. Reliqua quæ sequuntur in vltimo hoc versu variam suscipiunt interpretationem, sed de Romanis eorumque legionibus haud dubiè intelligenda sunt, & omissis aliis hunc ego sequor verborum sensum vt in contextu habentur. Et supra alam (hoc est, templi pinnaculum) erunt abominationes desolationum, & vsque ad consumma-

tionem effundetur ſuper deſolatum ſcilicet locum. Vt autem ſic interpreter, non tantum verborum proprietas me mouet, ſed etiam multo magis Chriſti ipſius authoritas, qui Matth. cap. 24. ad hunc locum reſpiciens, diſcipulis eum de Templi excidio rogantibus reſpondit: Quum videritis abominationem illam deſolationis dictam à *Daniele* Propheta ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat, vel animaduerrat. Pro quo *Marcus* habet cap. 13. Quum videritis abominationem illam vaſtatricem quæ dicta eſt à *Daniele* Propheta poſitam, vbi non conuenit, qui legit animaduertat. Vbi ex ipſis expreſſis Chriſti verbis nos omnes admonemur, vt hanc Prophetiam attentius conſideremus, intelligamuſque quid velit oraculum, nempe tunc futuram extremam Iudęorum deſolationem quum profanus Romanorum exercitus in ipſa vrbe Hieroſolyma, atque adeo in templo ipſo (quod *Matthæus* locum ſanctum vocat) ſuas abominabiles aquilas atque ſigna locarent, imo & ſuper Templi pinnaculum, quod hic ala, Græcè πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ Matth. 4. appellatur. Hic erat locus, vbi non oportuit, vel non conueniebat talia abominationis indicia locari, quæ Iudęorum vaſtationem prędicebant. Videmus in hac interpretatione nihil eſſe coactum, ſed ipſius Chriſti verbis nos inhærere, vt nihil amplius opus ſit his immorari.

CAPVT.

CAP. XVII.

Refutatio contrariarum interpretationum verborum Danielis, *qua præcedens Hebdomadum supputatio clarius & uberius confirmatur.*

QVandoquidem iam satis *Danielis* contextum, quod ad nostrum institutum pertinebat, aperuimus: Iam ad aliorum opiniones refellandas accedamus, qui non simili nec vno modo has *Danielis* hebdomadas inchoant, sed alii á *Cyri* primo Monarchiæ anno, vel ab ipso oraculo, quod primo *Darii* Medi (qui socius *Cyri* fuit in imperio) anno, promulgatum fuit, quum *Danieli* reuelata est hæc Prophetia, harum septimanarum principium statuunt: alii á *Dario Hystaspis* filio incipiunt, alii à *Dario* quem *Longimanum* vocant, alii à *Dario Notho*, & alii aliter, quos omnes in ipso statim limine impingere, nempe in initii harum hebdomadum designatione rectis & claris demonstrationibus ostendere nunc aggredimur. Primum ergo quod ad eos pertinet (qui non pauci sunt) qui à primo Monarchiæ *Cyri* anno 70 septimanarum in *Daniele* designatarum principium statuunt, audienda ante omnia sunt verba, non mea, sed antiqui illius non infimi nominis Scriptoris *Iulii Africani*, quem supra (ex relatione *Eusebio*, libro quinto Chronic.) citauimus.

Is enim ita habet: *Numeri hebdomadum 70 initium accipere Angelus præcipit ab exitu sermonis vt reparetur & ædificetur Hierusalem, & sermo exiuit quo hoc ipsum iubebatur. Nam ad illud vsque tempus ciuitas deserta mansserat, quum templum ædificare permissum erat, murum autem circundare ciuitati initio prohibebatur, tanquam hoc imperatum non esset. Mansit igitur vsque ad Nehemiam & regnum Artaxerxis, annumq; imperii Persarum centesimum decimumquintum. Tum Rex Artax. iussit ædificari ciuitatem, Nehemias operi præfuit, & plateæ & muri ambitus ædificata sunt, sicut Propheta futurum prædixerat.* Deinde sequitur: *Si ab alio quouis tempore initium numerandi fecerimus neq; tempus ipsum conueniet & multa incommoda subire necesse erit. Siue enim à primo Cyri anno primaq; emissione 70 hebdomadas numerare cœperimus, anni centum & amplius supererunt, siue ab eo die quo Angelus ipsi Danieli oraculum reddidit, etiam maior fiet annorum numerus. Multo autem maior si ab initio captæ vrbis. Inuenimus enim regnum Persarum intra annos 200 contineri, &c.* Hæc ille quæ pro nostro stabiliendo & confirmando calculo præmittere placuit, ne noua quis esse putet ea quæ pro confutatione contrariarum opinionum de harum hebdomadum initio adducemus. Vt ergo res ordine procedat totam hanc de *Danielis* septimanis controuersiam tribus dicimus comprehendi quæstionibus, quarum prima est de initio, secunda de fine, tertia de intermedia harum hebdomadum partitione, & recto annorum earundem ordine. Et certè (vt quidam non citra iustam querelæ causam ait) miseranda res est hanc Angeli *Gabrielis* denunciationem, quæ excellentissimum vaticinium continet ab ore ipsius Dei promulgatum, ita depraua̅ri vt alienis

à vero

à vero ſenſu & mente Prophetę interpretationibus obſcuretur & ſubuertatur. Nam omnes qui à recto illo tramite ab *Africano* demonſtrato deuiant, in eo deficiunt quod nequeant vtcunque ſe torſerint, vel omnes calculos adhibeant, ad verum tempus, vel natiuitatis, vel baptiſmi, vel paſſionis Chriſti, vel ad excidium Ieroſolymorum & Iudæorum reipublicæ expirationem peruenire. Vt ergo ad primam quæſtionem de hebdomadum 70 initio reuertamur, percipimus omnes ferè qui à primo Monarchiæ *Cyri* anno eas inchoant, ita ipſas collocare vt ſeptem hebdomadas verſu 35 priore loco poſitas, hoc eſt, 49 annos dicant denotare tempus illud in quo Iudæi reduces Templum ædificarunt & reſtituerunt cultum Dei, ſed vrbem minime. Et vt hoc probent ita præciſè ſeparant ſeptem illas ſeptimanas à ſequentibus 62 (quamuis vno verſiculo vel paragrapho contineatur) vt vbi in *Danielis* contextu dicitur quod ab exitu decreti ad reædificandum Hieruſalem ad Chriſtum Principem erunt ſeptem hebdomadę, ibi *pauſam* ſeu *diaſtolen* faciunt tanquam dimidiæ per ſe ſententiæ, & deinde 62 ſeptimanas cum altera parte verſus vſque ad illius finem connectunt: hunc-que ſenſum eruunt, vel potius extorquent, vt intelligantur ſeptem priores ſeptimanæ à tempore inchoationis hebdomadum ad Meſſiam Principem vel Chriſtum ipſum, quaſi priores 49 anni eo ſpectarent vt tempus præciſum ad Chriſtum ſignificent. Et deinde 62 hebdom. ad illud tempus referunt in quo ciuitas muri & foſſæ ædificata ſunt. Imo nonnulli illorum eo imprudentiæ, ne dicam impudentię, prolapſi ſunt vt negent ſeptem & 62 hebdomadas 69 in hoc loco poſſe conſtituere, quum nihil vulgarius ſit quam è duobus

minoribus

minoribus numerum vnum maiorem constituere. Nec ille loquendi mos à sacris Scripturis alienus est: vt quum *Iacob* dicit se viginti annis seruiisse *Labano*, mox subiungit particularia tempora. Vnde consurgunt hi 20 anni nempe quod 14 annis illi pro duabus filiabus seruierit, & sex pro illius grege. Similiter quum Deus in Lege iubet populum Israeliticum sibi numerare septem septimanas annorum, septem scilicet annos septem vicibus, ita vt tempus septem septimanarum annorum illis 49 annos constituant, hoc est, integrum annorum Iubilæum. Sed quid ego exemplis in re adeo manifesta insisto? nec in hoc loco huic calculo obstat *Danielis* contextus, vtcunque à Iudæis Massoretis punctetur, quin septem & 62, 69 in solidum constituant. Nam sensus satis clarus est, (quem supra explanauimus) nempe ciuitatem ipsam, eiusque plateas, fossas & muros medio hoc tempore ædificanda. Vt ergo ad initium supputationis harum hebdomadum redeam, multi (fateor) eruditi viri sunt, qui septem septimanas vers. 25. nominatas ad annos 49 ædificationis Templi referunt. In eo autem quod septem septimanas sexaginta duabus in ordine numerandi præmittendas censent, plerique omnes consentiunt: quamuis non omnes à *Cyri* Monarchia earum supputationem ordiantur. Fateor, inquam, multos doctos viros in ea esse sententia meque ipsum fateor, tot proborum & eruditorum hominum authoritate nixum, etiam in eam abreptum fuisse opinionem. Sed multum me doluit, quod, quum multorum veterum & recentiorum scripta de harum hebdomadum initio & recta locatione legissem, neminem comperire potuerim qui hoc statuto principio hebdomadas ipsas 70 ad certum aliquem finem

Gen. 31.

Leuit. 25.

finem citra aliquem defectum aut errorem posset accommodare. Legi, dico, & relegi multos de istis septimanis scribentes, & inter legendum reperi eos non tantum inter se dissidentes, sed etiam rem quasi in incerto relinquentes. Excipio vnum aut alterum eorum qui nimium sibi addicti quicquid illis libet audacter extollunt & perfectum esse putant. Quum ergo lis ista, post tot eruditorum hominum velitationes de exacto harum hebdomadum calculo, adhuc quasi sub iudice pendeat, mihi potius quam aliis vitio vertendum non existimam si modestè & sobriè, imo religiosè & piè mea testante conscientia, de hac tam diu agitata, & nondum decisa quæstione inquirerem. Et tandem veritatis vi coactus sum ab aliorum opinionibus discessionem facere, & diuersam à non ita multis obseruatam sententiam sequi. Reuereor certè antiquitatem, si quis alius, & tot magnorum virorum qui ante me scripserunt authoritatem magni facio, sed ratio & veritas semper apud me priore loco erunt, quas in hac inuestigatione sequi me confido. Dico ergo & constanter affirmo, eos qui à *Cyri* Monarchiæ initio has hebdomadas supputandas putant in eo hallucinari, quod multos, imo plus quam centum annos, in hoc catalogo omittant, qui ex vera & historica annorum & Regum Persicæ Monarchiæ enumeratione colliguntur, vt postea à me claris & euidentibus argumentis demonstrabitur. Deinde (pace eorum dictum sit) falsum principium & fundamentum sibi assumunt, dum Templi ædificationem cum ciuitatis Hierosolymæ restauratione in integrum & ædificatione confundunt. Et friuolum est quod quidam verba illa (ad reædificandum Hierosolymam) pro ædificatione Templi accipienda putat, eo

quod Templum præcipua ciuitatis sit pars: Certe aliena hęc est interpretatio, vt Templum pro tota vrbe vel ciuitate accipiatur. Sed contrarium potius ipsa Prophetiæ verba loquuntur, quum à decreti vel verbi enunciatione de reędificanda Hierosolyma hebdomadarum initium sumendum esse indicant, nulla facta de Templi ædificatione, mentione, nec de vllo mandato quod à *Cyro* procedere poterat, qui adeo multis annis *Danielis* oraculi calculum pręcessit. Nam de ciuitatis ipsius Hierosolymæ plenaria restauratione oraculum loquitur, vnde cœpit florere Iudæorum respublica, quæ ante deformata, & à vicinis contempta iacuit, donec *Nehemias* per libertatem sibi á Domino suo *Artaxerxe* anno regni ipsius vigesimo datam (quæ absoluta & plena erat) ciuitatem ipsam muro circundedit, integreque restituit: restituta etiam, ex fœdere per *Nehemiam* & Principes populi inito, Legis Dei & Sabbacorum annorum obseruatione, vt *Nehemiæ* lib. 10 cap. patet. Nullo ergo modo incipienda est à *Cyri* decreto harum hebdomadum enumeratio, nec in Templi ędificatione insistendum, cuius oraculum ne hilum quidem meminit. Preterea dato (quamuis non concedendum sit) quod tempus in *Danielis* Prophetia designatum etiam ad Templi ędificationem pertineat, quomodo tamen illa verba ad Christum vel Messiam principem quæ immediatè septem illas prędecedunt hebdomadas priore loco vers. 25 nominatas applicant? Affirmabunt ne tantum septem fuisse septimanas, hoc est, 49 annos ab edicto *Cyri* de dimittendo & reducendo populo & Templo ædificando ad Christi ipsius vel cuiuscunque alterius Messiæ aduentum fluxisse, ad quem horum 49 annorum finis sit referendus? Certè nullum

nullum dare possunt, quum omnes historiæ contrarium testentur, nempe multo plures annos esse elapsos antequam aliquis Princeps aduenirет ad quem Messiæ nomen sit referendum. Nam si *Zorobabelem* primum Iudęorum post captiuitatem ducem obiiciant, non conuenit calculi illius personæ accommodatio, quum ipse statim ab edicto *Cyri* & reditu à Babylone Ducis populi munus sustinuerit, & non demum post 49 annos, quum consummatum esset Templi opus: Et ex horum calculo necesse est (vt etiam quidam illorum scribunt) vt Princeps ille Messias simul cum completo Templi ædificio, vel saltem ciuitatis instaurandę initio inciperet. Quod autem quidam hoc de *Nehemia* videtur interpretari valde absurdum est: Ad quem *Samballetum* literas scripsisse ait hæc duo simul iungentem, nempe ędificationem murorum & Regis super Iudęos constitutionem. *Relatum est* (inquit ille) *inter gentes quod tu & Iudæi rebellare intenditis, ob quam causam murum ædificas, vt tu fias illorum Rex secundum hæc verba. Tu etiam mandasti Prophetis de te prædicare Hierosolymis, dicendo Regem esse in Iuda.* Egregium sane elogium pro constituendo Messia, hominis profani & Iudæorum hostis. Sed quid respondit illi quæso *Nehemias? Nihil tale est quod tu dicis, sed ex animo tuo comminisceris ea.* Tanti ne est valoris mendacium impii hominis vt ex *Nehemia* Messiam faciat? Sed vbi rogo, vel quando vnctus est *Nehemias*, si Princeps ille Messias erat de quo *Daniel* loquutus est? Verum quidem est illum ab *Artaxerxe Mnemone* Persarum Rege missum cum literis & authoritate, vt prefecturam quandam apud Iudæos gereret, sed quod Messiam quoquomodo repræsentaret non reperio, nec a Iudęis ipsis electum in du-

cem, sed ab *Artaxerxe* Rege Domino suo, qui Iudeis tum dominabatur, *Pecha* vel *Pecham*, hoc est, in ducem vel rectorem sit constitutus. Sed leuia hæc sunt pro eo quod iste constanter asserit verba, videlicet de Messia Principe vers. 25 expressa de Christo Iesu Seruatore nostro hoc loco non esse intelligenda, sed potius de alio (nescio quo) Messia. Quod certe in Christiano homine, qui *Danielis* Prophetiæ interpretationem profitetur, flagitium est verberibus dignum, non absimile eorum delirio de quibus Christus verus noster Messias vaticinatur, qui Pseudochristos & Pseudoprophetas sequuti, verum Messiam non essent agnituri. Aliena certè hæc *Danielis* Prophetiæ de Messia explicatio est, vt quum Angelus vers. 24 de Iesu Messia (vt ipse fatetur) & etiam vers. 27 loquatur in his intermediis versibus in vno & eodem oraculo, tanquam sui oblitus, ad alium Messiam verba sua accommodet, & postea ad Iesum verum Messiam redeat, vel quod de vno dixerat descendens ad species de alio intelligat. Nec me mouet quod *Eusebius* ante illum etiam hanc adducat opinionem. Ille enim non simpliciter huic inhæret, sed quum verba *Africani* attuliſſet, qui de nostro Messia Christo totum oraculum exponit, καθ' ὑπερβασιν, inquit, hæc possunt de alio Messia intelligi. Sed quicquid dicat *Euseb.* verba hominis sunt, non Spiritus Dei: quibus ego etiam si Angelus de cœlo illa proferret, contra expressam mentem Angeli ipsius *Gabrielis*, qui hæc *Danieli* reuelauit, non crederem. Dicit tamen iste se nullo modo posse videre (cæcutiens scil.) quomodo per rectã temporum Chronologiã, vel annus Christi natiuitatis, vel baptismi, vel passionis, seruiat pro supputatione 70 hebdomadũ ab aliquo mandato, vel decreto ab aliquo

Persarum

Perſarum rege promulgato ad ędificandam Ieroſolymam, vel quomodo Meſsias in hoc loco Seruatori Ieſu poſsit applicari. Imo contrarium (vide hominis temeritatē) contextum ipſum innuere: qui ſolum ſeptem hebdomadas, hoc eſt, 49 annos ponit expreſsis verbis à mandato dato ad Meſsiam. Sed vbi (quęſo) ſunt illa expreſſa verba? Neceſſe eſt vt ille alium contextū ſibi fabricet. Nam verus *Danielis* contextus nihil ſimile habet. Tricę ergo ſunt iſtę, & ab oraculi recta interpretatione penitus aliena. Pergit hīc tamē cum Iudęis obſtinatis delirans, & ait nullū Hebręorum ſcriptorē quem ipſe vnquam legerit, per hęc verba Meſsiā intellexiſſe, ſed vnctorū, vel ſacerdotū, vel gubernatorum ſucceſsinē. Quid ille legerit neſcio, quāuis profiteatur ſe multa legiſſe & multis libris eſſe inſtructū. Sed miror hominē tam ſui eſſe oblitum, quum poſtea in eodem ſuo libello ſcribat ſe non ignorare hebręos Scriptores agnoſcere & fateri Chriſtū ipſum veniſſe in fine, vel circa finē *Danielis* hebdomadū. Nam ipſi tenuerunt (inquit) ſuum Meſsiā in regnum ſuum venturū ſub deſtructionem Ieroſolymorū. Et citat authores huius opinionis, *R. Leui Bengerſhim*, *R. Hama* filium *Hanana*, *R. Eleezer* filium *Simeon*, *R. Moſen Haderſan*, & *R. Mili*. Cæterum de nomine Hebræo משיח quod hic aſſerit in ſacris Scripturis interdum generaliter & appellatiuè accipi pro Sacerdotibus, vel Principibus ad ſua munera inunctis, verum quidem id eſt, ſed nunquam ſine determinata aliqua definatione particularis muneris & officii ad quod fuerint inſtituti, cum loci & temporis circumſtātiis. Sed nuſquā alibi reperientur hæ duæ voces נגיד משיח abſolutè per ſe poſitæ. Nā huius Prophetiæ ver. hoc 25 ponūtur abſq; aliquo adiūcto epitheto.

Ex quo manifeſtum eſt hęc nomina *catexochen* hic accipi pro inſigni illo Meſſia, de quo peculiariter Prophetæ loquuti fuerant, & quem Iudęi ipſi cum inſigni prę omnibus aliis vnctis Principibus, dominatione venturum expectabant. Quod iſte etiam, parum ſui memor verſ. 24 exponens agnoſcit. Fruſtra ergo hic de generali huius vocis acceptione diſſerit, quod nihil ad hunc *Danielis* locum pertinet, vbi tota Prophetiæ vis in particulari, inſignis illius Meſſiæ patribus promiſſi deſignatione conſiſtit. Optarem equidem hunc ſcriptorem quem hic in ſiniſtra huius nominis, Meſſiæ, acceptione non ſine maxima cauſa reprehendo, errores ſuos in hoc & aliis à me deſignatis locis (ſi in viuis ſupereſt) agnoſcere & emendare, ne hoc illum puderet, quum magnus ille Eccleſiæ Doctor *Auguſtinus* in rebus non adeo magni momenti duos retractionum errorum ſuorum libros adhuc extantes ſcripſerit. Nam alia multa apud hunc authorem reperio, de Monarchię Perſarum Regibus & temporibus, & de nonnullarum hebraicarum vocum recta interpretatione, & pręcipuè ea quæ in fine ſui libelli de Perſarum Monarchia ſcribit, de ſecundo Chriſti aduentu vtilia & notatu digna. Quem hic propterea nomino, vt omnes de quo loquor intelligant. *Eduardus* ille *Liuelius* Anglus eſt, linguæ ſanctæ Lector (vt ipſe ſe vocat) in celebri Vniuerſitate Cantabrigiæ. Iam vt redeam eo vnde digreſſus ſum, dico ex his quæ ante dicta ſunt, & quæ in annorum hiſtorica ſupputatione ſunt dicenda, euidenter conſtare poſſe initium *Danielis* hebdomadum ad *Cyri* Monarchiæ principium referri non poſſe. Quantumuis aliqui vt hoc violenter eliciant, annos Perſarum Monarchiæ contra probatiſſimorum ſcriptorum fidem

dem ad dimidium ferè detruncant & abbreuiant. Cæterum quod ad illos attinet, qui ad *Darium Hiſtaſpis* harum hebdomadum initium referunt, nulla probabili ratione nituntur, vt longa opus ſit confutatione. Nullum enim mandatum ab hoc Rege in Iudęorum fauorem emiſſum eſt, quin potius is fuit qui *Ezræ* 4. cap. *Aſſuerus* appellatur, qui vnus fuit eorum qui ædificationem Templi impediuerunt, vt ibi ſcriptum reperimus. De *Dario* autem alias *Artaxerxe* dicto quem *Longimanum* cognominant, cui alii hebdomadum inchoationem aſſignant, ſic habendum eſt, illum quidem regem eum eſſe qui ſecundam poſt *Cyrum* Iudæis libertatem Templi ędificandi conceſſit, vt eiuſdem *Eſræ* libri cap. 6. copioſè narratur. Nihil tamen hic de ędificanda ciuitate meminit, ſed tantum edictum tulit vt ſinerentur Iudæi reduces domum Dei ædificare in loco vbi fuit, vt ex his & aliis edicti verbis eo cap. expreſſis ſatis conſtat. Propterea 70 hebdomadum Principium non magis ad eius edictum referri poteſt, quam ad illud *Cyri* quod de Templi, non ciuitatis ędificatione promulgatum fuit. Præterea nec anni conueniunt ab hoc *Dario* ad Chriſti tempora deducti. Nec etiam quod de *Dario Notho* adfertur plus ſoliditatis habet. Nam certum eſt omnium Scriptorum conſenſu illum tantum 19 annis regnaſſe: *Artaxerxes* autem ille qui libertatem ædificandi muros Hieroſolymæ *Nehemiæ* conceſſit anno 20 ſui regni hanc conceſſit libertatem, vt ex *Nehem.* 2. cap. conſtat: Et ille *Artaxerxes* nuſquam *Darius* in ſacris literis appellatur. Nec ſolidum eſt quod quidam annos *Darii Nothi* & *Artaxerxis* ita involuunt & confundunt, vt ſignificare velle videantur decretum à *Dario Notho* promulgatum fuiſſe, ſed eius

exequu-

exequutionem *Artaxerxi* esse commissam, cuius contrarium ex contextu ipso libri *Nehemiæ* est manifestum. Inter quos miror incuriam *Iosephi Scaligeri* qui hebdomadum initium ad secundum annum *Darii Nothi* referens, etiam Templi ædificationem cum vrbis ædificatione confundit. Et pro 20 *Artaxerxis* anno quo missus fuit *Nehemias* ad vrbem instaurandam trigesimum secundum ipsius annum, quo absolutum est opus, supponit. Iam ad historicam annorum supputationem accedo, qui particularibus 70 hebdomadum temporibus accommodati, exactam ipsarum hebdomadum constituunt designationem, vt nulla superst dubitatio, aut contrariarum diuersarumue opinionum probabilis tergiuersatio, quibus annis ritè discussis, soluuntur secunda & tertia quæstiones de fine & intermedio tempore harum hebdomadum. Assumimus autem primum omnium illam seu certam temporis epocham, nempe annum imperii Persarum centesimum decimum quintum, quæ à *Iulio Africano* stabilita est in vigesimum *Artaxerxis Mnemonis* annum. Ab hoc ergo anno retro & porro numerando, Monarchiæ Persarum integrum tempus inuenimus illud 191 annorum complere numerum. Qui numerus, non tantum ab Hebræis scriptoribus ponitur, sed etiam per astronomicam *Ptolomæi* supputationem confirmatur. Ponit enim ille septimum *Cambysis* annum, quo anno huius Monarchiæ tempus dinumerare incipit, distare à Monarchiæ *Alexandri* Magni initio annis totidem, nempe 192 (sumpto in computum ipso septimo *Cambysis* anno.) Nam à *Nabonassare* ad *Alexandri* mortem sunt anni 424 ex libro 3. *Megal. Syntaxeos* cap. 7. Et ex 5. libri eiusdem capite 14. Septimus annus *Cambysis* est

a *Na-*

à *Nabonassare* 225, quibus à 424 ablatis remanent 200. vno minus. Subductis autem Monarchię *Alexandri* ipsius septem etiam annis, supersunt 192. A quibus demum demptis annis 114 peruenitur ad centesimum decimumquintum Monarchię Persarum annum. Nam additis 78 annis qui currunt à 19 *Artaxerxis Mnemonis* ad finem Persarum Monarchię illis 114 efficiuntur integri centum nonaginta duo anni. Ratio autem quare à septimo anno *Cambysis* inchoetur annorum huius Monarchiæ Persicæ supputatio à Græcis & *Ptolomæo* hæc redditur, quia *Cyri* & *Cambysis* anni concidunt. Nam *Cyro* bellis continuis occupato domi apud Persas regnauit *Cambyses*: qui *Cyri* & *Cambysis* anni in Catalogo regni Persici apud Babylonios iuxta Græcorum supputationem in computum non veniunt, quia *Cyrus* continuo virę suæ tempore occupatus fuit ni pacificè acquirenda illa Monarchia: qua de re fusius cap. 14. tractatum est, nec hic necesse est insistere, quum ad *Danielis* 70 hebdomadas tantum pertineant illi anni qui à 19 *Artaxerxis Mnemonis* anno fluxerunt, Qui sunt (vt diximus) 78 & sic colliguntur. *Artaxerxes* post 19 illius annum regnauit annis 43. Nam quamuis alii totali tempori ipsius regni 55, alii 43 annos tribuant, *Plutarchus* tamen grauis & fide dignus author, qui ex professo vitam istius *Artaxerxis Mnemonos*, & singula eius acta descripsit, regno eiusdem dat annos sexaginta duos. Nam ad annos 94 illum vixisse tradit, quem tuto præ aliis in hoc sequi possumus, proximus huic successit *Ochus Artaxerxes* qui consensu scriptorum regnauit annis viginti sex, *Arses* huius successor tribus tantum annis, & *Darius* vltimus sex, qui ab *Alexandro* Magno regno exutus est. Ex his consurgit

premissus 78 annorum numerus, quibus additi 327, quos à morte *Darii*, vel initio Monarchiæ *Alexandri*, ad Christi natalem ponimus, efficiunt 405 annos. Eos autem 327 annos sic per partes numeramus, vt à variis colliguntur Scriptoribus, nempe à *Clemente Alexandrino*, *Dionysio*, *Halicarnassæo*, *Eusebio* & aliis. Quod etiam per astronomicam *Ptolomæi* supputationem confirmatur. Ponunt enim a morte *Alexandri* ad annum victoriæ finalis *Augusti* contra *Antonium*, qui in Alexandria Ægypti sibiipsi manus intulit 294 annos. Quod confirmat *Ptolomæus* circa finem libri tertii his verbis, ἀπὸ δὲ τῆς τελευτῆς Ἀλεξάνδρου μέχρι τῆς Αὐγούστου βασιλείας ἔτη 294. à morte *Alexandri* ad *Augusti* regnum sunt anni 294. Et quamuis ipse per Ægyptios annos numeret, qui aliquanto breuiores sunt Romanis, quum nullam recipiant intercalationem, tamen in hoc 294 annorum numero solum differunt 73 diebus, qui in πάντα numerando, vulgatiorem annorum computum non mutant. His annis additi sex regni *Alexandri* post initam Monarchiam occiso *Dario* faciunt 300. Addendi his 27 regni *Augusti* ab ea victoria, qua facta est Ægyptus Romanorum Prouincia: Nam vulgato annorum *Augusti* computo, secundum omnes ferè Scriptores, anno eius 42 natus est Christus: qui 42 annus à morte *C. Iulii Cæsaris*, testibus *Clemente Alexandrino* primo *Stromat.* & *Eusebio* in Ecclesiastica historia est 28 à morte *Antonii*. Ideoque auferendi sunt in hoc calculo a 42 annis 15 anni. Idem confirmat *Orosius* suę Historiæ lib. 6. Nunc ex tribus his numeris, nempe Monarchiæ Persarum 78 annis & 300 ab initio *Alexandri* Monarchiæ, atque 27 regni *Augusti* consurgunt 405 anni: quibus demum additis ætatis Christi annis 29 fiunt in totum

præcisè

precisè anni 434. qui complent exactè sexaginta duas *Danielis* septimanas annorum, in 29 Christi annum desinentes. Post quem 29 Christi annum immediatè sequitur illa singularis annorum septimana vers. 27. expressa à Christi baptismate 30 ætatis ipsius anno incipiens, in qua per Evangelii prædicationem Christus fœdus cum multis confirmauit: & in medio, vel circa medium illius hebdomadis seipsum in sacrificium pro peccatis nostris obtulit, Iudęorũq; ceremonialia sacrificia & oblationes aboleuit. Et tandem sequuntur reliquę septem septimanæ ad finalem Iudæorum euersionem. Quod si libet particularius computum præmissorum annorum inire, sumantur, primo Monarchiæ Persarum dicti 78 anni. Deinde ab initio Imperii *Alexandri* ad principium regni Græcorum per *Seleucum Nicanorem* initi, qui sunt ex supputatione Iudęorum anni octodecim, & duodecim à morte *Alexandri*, quod etiam probat *Iosephus Scaliger* lib. 5. De emendatione temporum. Et ab inito Græcorum regno ad Machabæos anni sunt 146. vt ex primi libri Machabæorum cap 2. vers. vlt. habetur: Et ex *Iosepho Iudæo* lib. Antiq. 12. cap. 8. deinde Machabęorum dominatus, vt idem *Iosephus* testatur, 126 annorum erat: Post quos, *Herodes* magnus apud Iudæos, post ipsius designationem in Regem à Romanis, 37 secundum veriorem Historiam regnauit annis, vt idem *Iosephus* lib. Antiq. 14 cap 26. & lib. 17. cap. 10. testis est. Circa quorum 37 annorum finem (nempe trium circiter mensium spatium ante mortem *Herodis*) natus est Christus in Bethleem Iudæ. Hii collecti simulque iuncti anni a 19 regni *Artaxerxis Memnonis* ad Christi natalem faciunt 406 annos: quibus additis ætatis Christi post ipsius natalem an-

num 28 annis, redit exactè idem numerus 434 annorum qui 62 *Danielis* constituunt hebdomadas. Videmus vt nihil hìc coactum in annorum supputatione veniat, sed omnia ad amussim vero quadrent calculo. Si adhuc lubet idem per Græcorum Olympiades experiri: Notum est omnium Græcorum consensu *Alexandrum* mortem obiisse anno primo centesimæ decimę quartæ Olympiadis, Christum autem Seruatorem natum esse Olympiadis centesimæ nonagesimę quartæ anno tertio, vt præter alios multos testis est *Eusebius* in Chronicis. Nam (inquit ipse) ille annus primus est Christianorum salutis, quo filius Dei natus est in Bethleem Iuda. Sunt autem inter annum primum 114 Olympiadis & tertium 194 Olymp. anni 321, vt cuius recte supputanti patet, quibus additi sex regni *Alexandri* annos 327, inter initiũ Imperii *Alexandri* & Christi natalem annum, prius á me positos constituunt. Possum & idem adhuc, si libet insistere, per annos vrbis Romæ comprobare: idque facile hoc modo. *Petrus Appianus* in Astronomico Cæsareo (à *Paulo Crusio* citatus) epochen vrbis conditę inuestigauit è motibus Planetarum, qui à *Solino* descripti sunt, pro tempore ædificationis Romæ: ac deprehendit eam conditam esse vndecimo Kal. Maii anno 753 ante Christi natalem secundum *Dionysium*. Annus autem occisi *Iulii Cæsaris* in Senatu fuit vrbis Romæ 710 annus, vt testantur *Solinus*, *Eusebius*, & *Iosephus Scaliger* libro 5. Atque etiam confirmant vetera monumenta marmorea Capitolina, quibus ille annus mortis *Cæsaris* est insculptus. Sequenti anno *Augustus Cæsar*, post occisos Consules *Hirtium* & *Pansam*, Monarchiam Romanam iniit. Anno autem secundum illum imperii computum

tum 42. (vt ſupra dictum eſt) natus eſt Chriſtus: Iungantur ergo ſeptingentis & vndecim annis 42 *Auguſti Caſaris*, ita vt ille ſit primus etiam Chriſti annus qui eſt *Auguſti* 42, & idem numerus 753 annorum ab *Appiano* poſitus conſurgit. Videtis hic me non modo triplicem, ſed etiam quadruplicatum nectere funiculum, vnde *Danielis* hebdomadum certitudo & annorum numerus calculo illarum congruus exactè conuenit: quod an hactenus ab alio (abſit dicto inuidia) præſtitum ſit dubito. Me certe, vtcunque ſit, non impulit ambitio, ſed bonæ conſcientiæ teſtimonium vt in hoc themate excutiendo ſecundum gratiam à Deo datam meam adhiberem operam. In qua diutius me immorari oportuit, propter multiplices eaſque diſſentientes de ſeptimanis *Danielis* ſcriptorum opiniones, quibus nunc tandem per has poſitas calculationes finem imponi poſſe confido. Poſſum & hic pro ampliore dictorum confirmatione annos ſabbaticos in hiſtoriis occurrentes qui medio hoc tempore inter 70 *Danielis* hebdomades inciderunt commemorare. De quibus in libris Machabæorum, *Ioſepho Iudæo* in ſuis Antiquitatibus, & *Ioſepho Scaligero* lib. 5. De temporum emendatione fit narratio. Sed de his, capitibus precedentibus dictum eſt fuſius. Hęc igitur de ſeptimanis annorum *Danielis*. Quæ ſi exactam, & veram ſupputationem (vt ſpero) rectumque dinumerandi ordinem demonſtrant, non multum me mouebit, quod nouitatis hæc mea ſententia inſimuletur, nec ſecus ſentientes ni meam adigere ſententiam pluribus iam verbis laborandum duxi. Nec mea mihi adeo placent, (quamuis quæ vera ſunt non mea ſunt) quin ſi quis meliora & probatiora adduxerit lubenter cedam. Hoc tan-

tum ſuppoſito quod ſolius Dei eſt quicquid ab illius Spiritu ſuggeritur.

CAP. XVIII.

De prima parte Periodi nonæ ab anno Mundi 3920 ad excidium Hieroſolymorum & ſecundi Templi euerſionem a Veſpaſiano *&* Tito, *hoc eſt, annum Chriſti 71 mundi autem* 4033.

Abbatariorum annorum octo hactenus abſoluimus Periodos, & incidentes omnes in computo annorum præſertim Perſici imperii difficultates qua potuimus diligentia expediuimus: hebdomadum etiam *Danielis* ſupputationem accuratam adiecimus deſcriptioni octauæ Periodi, quod maxima illarum pars ad eam referenda ſit, & ſententiam noſtram de recta illarum ſupputatione abundè confirmauimus. Sequitur nunc Periodus noua quæ ab anno mundi 3920, 42 annis ante natalem Chriſti, ad annum mundi 4410, hoc eſt, annum Chriſti 448 numerari poteſt, vt ex obſeruata hucuſque à nobis ſupputandi ratione facile intelligitur. Verum, vt antea cap. 2. oſtendimus, etſi hæc per maiores Periodos (quæ ex ſeptuaginta annorum ſeptimanis, vel decem Iubilæis, hoc eſt, annis 490 conſtant) ſupputandi ratio ante incarnationis & paſſionis Chriſti tempora commodiſſima viſa eſt, eiuſque non exiguus

exiguus vſus eſt ad abſolutas vſque *Danielis* hebdomadas, circa annum Chriſti ſeptugeſimum, ab eo tamen tempore commodior fieri poteſt annorum ſupputatio per minores Periodos, quæ 35 annorum ſabbatha, vel quinque Iubilæos, hoc eſt, 245 annos complectuntur. Per has enim eruditorum opinione *Ioannes* in Apocalypſi ſua tempora digeſſit. Itaque obſeruatam hactenus à nobis per annos Sabbaticos ſupputationem ſequemur duntaxat in prima huius Periodi parte, quę ad annum Chriſti ſeptuageſimum primum extenditur, circa quod tempus initium habuit bellum Iudaicum, quo vrbs Hieroſolymorum à *Veſpaſiano* & *Tito* Romanis Imperatoribus obſeſſa & capta cum Templo deflagrauit, & tota Iudæorum Reſpublica penitus euerſa eſt. Complectitur autem hæc pars 112 annos, ſiue annorum Sabbata ſexdecim, quos à Romanis Imperatoribus, quorum imperii tempus exactè a Chronologis obſeruatur, ſic ſupputare poſſumus. *Auguſtus*, cuius anno 42 natus eſt Chriſtus, & a cuius regno initium ſumit nona hæc Periodus, regnauit annos 56. *Tiberius* 23, *Caius Caligula* 4, *Claudius* 13, cum dimidio, *Nero* 14, *Galba Otho*, *Vitellius* annum vnum cum dimidio, qui anni ſimul iuncti 112 efficiunt vſque ad imperium *Veſpaſiani*, à quo euerſa eſt Iudæorum politia. *Auguſti* verò annos imperii numeramus a cęde *Iulii Cæſaris* (quæ incidit in annum vrbis conditæ 710, vt iam diximus, qui annus fuit mundi 3920, & octauæ Periodi vltimus) non autem ab Actiaca Victoria (quę decimoquinto poſt anno accidit) qua deuicto *Antonio* & *Cleopatra* ſolus imperium tenuit. A initio igitur imperii *Auguſti*, anno vrbis conditæ 710 ad imperium *Veſpaſiani*, qui imperare cœpit anno vrbis conditæ 822.

Chriſti

Christi verò 71 sunt anni plus minus 112. Vel, si annos a Iudęorum regno libeat supputare: diximus supra finem octauę Periodi quinque annis finem denominationis Machabęorum præcedere, quibus si adiicias 37 annos quibus regnauit in Iudæa *Herodes* magnus fiunt 42 qui additi septuaginta annis Christi qui non multò ante *Herodis* mortem natus est, fiunt anni 112. Sed de annis regni *Herodis*, & annis dominatus Machabęorum, quęstio oritur ex eo quod scribat *Iosephus* Machabęorum dominationem solum 126 annos durasse, cum alii vt *Philo* & Iudęorum Talmudistæ 129 annos illis tribuant. *Iosephus* item narrat anno *Herodis* tertio, *Herode* (postquam Hierosolymam obtinuisset) instigante, cæsum ab *Antonio Antigonum*, qui finem imperio Asmonæorum vel Macchabæorum imposuit: sed pro huius nodi dissolutione intelligendum est *Iosephum* in Antiquitatum libris annos regni *Herodis* ferè semper a tempore quo primum Romę Rex designatus est dinumerare. Ideo tres illos annos, quibus *Antigonus* post traditum a Romanis *Herodi* regnum supervixit, *Herodi*, non *Antigono* tribuit: alii autem illos annos *Antigono* assignant, quia eo adhuc viuente de regno inter ipsum & *Herodem* durabat controuersia: ideoque *Iosephus* lib. Antiq. 17. cap. 10. ait, *Herodem* postquam *Antigonum* interemisset regnasse annos 34. Postquam autem a Romanis regnum accepisset annis 37. Quæ diuersitas supputandi rectè intellecta omnem dubitationem tollit, & quæ in ipsius *Iosephi* scriptis videntur in speciem inter se pugnare reconciliat. Scribit enim *Iosephus* Antiq. lib. 15. cap. 14. *Herodem* instauraſſe Templum anno regni sui 18, cum lib. primo belli Iudaici cap. 16. id conferat in annum *Herodis* 15.

Illud

Illud enim intelligendum est numerando annos *Herodis* ab eo tempore quo a Senatu Romano Rex declaratus est anno vrbis conditę 714. *Cn. Domitio Caluino, C. Asinio Pollione* Coss. hoc a captis Hierosolymis, & cęso *Antigono*, anno vrbis conditæ 717. *M. Vipsanio Agrippa, L. Canidio Gallo* Coss. Iam vt annos regni *Herodis* primi ad sabbaticos examinemus. *Iosephus* lib. Antiq. 14. cap. vlt. & lib. 15. cap. 1. scribit, *Herodem* anno regni sui tertio Hierosolyma obsedisse, obsidionemque tertio Hebræorum mense perfecisse, vrbemque cœpisse: quam subitam vrbis expugnationem ipse maximè euenisse testatur propter famem & necessariorum inopiam, qua premebatur ciuitas, quia septimus tunc annus acciderat: & lib. 15. cap. 1, hæc habet verba: τὴν δὲ χωρὰν μενοῦν ἀγεωργήτου τὸ ἑβδοματικὸν ἠνακγάσεν ἔτος. Hic *Scaliger* sentire videtur annum, qui proximè obsidionem secutus est sabbaticum fuisse, quod non intelligo quo pacto menti Scriptoris conueniat. Nam si annus sabbatarius obsidionem secuturus erat, & tum sextus agebatur annus, quęnam fames aut annonæ penuria ratione anni sabbatici poterat interuenire? Quin potius annus ille sabbaticus saltem tunc erat inchoatus, nempe in Tisri anni obsidionem pręcedentis, ipsius *Herodis* anno secundo, qui adhuc durauit vsque ad Tisri, hoc est, septimum Hebręorum mensem anno *Herodis* tertio, vt ex nostro annorum *Herodis* calculo liquido constare potest. Consequens nunc est vt per annos *Herodis* primi Iudęorum Regis ad annum natiuitatis Christi æterni Regis deueniamus. Certum est ex Euangelica historia *Herode* hoc regnante natum esse Christum, sed quo anno regni ipsius non conuenit. Multorum opinio est, anno regni *Herodis* 30 natum esse

Christum, alii 31. *Eusebius* in Chronico, Natiuitatem Christi in 32. annum *Herodis* confert. *Epiphanius* contra Hæreses lib. 1. tom. 1. scribit, Christum puerum fuisse quatuor annorum, quando *Herodes* impletis annis 37 vitam finiuit, eoque natum esse anno *Herodis* 33: alii natum scribunt 34 anno regni *Herodis*. Nos autem pro certo statuimus, vltimo anno regni *Herodis*, qui ab ipsius designatione in Iudæorum regnum a Romano Senatu erat 37 a morte *Antigoni* 34. Christum mundi Seruatorem natum esse. Scribit enim *Lucas* cap. 3. anno decimoquinto *Tiberii Cæsaris* fuisse Christum annos natum triginta. Fuit ergo Christus annorum quindecim cum imperare cœpit *Tiberius*. Constat autem ex historia post mortem *Herodis Archelaum* eius filium nouem annis, partim Regem, partim Tetrarcham Iudææ fuisse, cui deinde tres Præsides per annos sex vsque ad annum *Tiberii* primum successerunt, vt ex *Iosepho* intelligimus. Vnde necessariò sequitur vltimo anno *Herodis* & natum esse Christum, & in Ægyptum deportatum. Deinde scribit *Iosephus* Antiq. lib. 15. cap. 7. annum Actiacæ victoriæ primum fuisse regni *Herodis* septimum, numerando a morte *Antigoni*, vt rectè notauit *Scaliger* lib. 5. De emend. Temp. Natus autem est Christus (vt scribit *Eusebius* Ecclesiasticæ historiæ lib. 1. cap. 6. & *Epiphanius* contra hæreses lib. 1. tom. 1. & in Ancorato, & libro De mensuris & ponderibus) anno regni *Augusti* 42 post Actiacam victoriam minimum annos 27, (nam *Eusebius* hic expressè ponit 28 annos) quibus si adiicias 7 annos, quibus regnauit *Herodes* ante deuictum *Antonium*, fiunt a cæde *Antigoni* anni 34, & ex quo declaratus est *Herodes* Rex a Romanis anni 37. Christus ergo natus est anno *Herodis* 37, initium

37, initium anni supputando à Nisan siue Iiar, Iudaico, qui nostro Martio & Aprili magna ex parte respõdent. Deinde Magi ab Oriente venerunt sub ipsum tempus Natiuitatis Christi, circa finem Purificationis Virginis, quę absolutis Purificationis diebus comparuit coram Deo in Templo, & puerum obtulit. Interea diuinitus monita aufugit in Ægyptum, Magi vero in Persidem: nec multo post *Herodes* interficit infantes, & statim postea horrendo morbo confectus moritur, ineunte mense Nisan paulo ante Pascha. Natus (inquam) est Christus quadrante anni ante *Herodis* mortem, imperii *Augusti* anno 42. cum descriptio totius terrę facta est Preside Syrię *Cyrenio* anno vrbis conditę 751, *C. Lentulo Getulico*, *M. Messalino* Coss. postquam pace per totum orbem parta, *Iani* Templum clausisset *Augustus*. Olympiadis 194 anno tertio, Periodi Iudaicæ 3773, à populi reditu ex captiuitate Babylonica 531, ab ędificatione templi Solomonici 1022, à sexto regiminis *Iesuæ* anno 1463, anno mundi 3962, qui numerus annorum mundi etiam à *Reinholdo*, *Chytræo*, *Beuthero*, *Paulo* Crusio & aliis quibusdam doctis viris temporum seriem exactissimè supputantibus annotatus est. His de anno natiuitatis Christi explicatis, sequitur vt de Baptismo & passione ipsius dicamus: & de baptismo quidem non magna est quęstio, cum *Lucas* disertè scribat, Christum anno ętatis suæ tricesimo à *Ioanne* baptizatum esse, circa quod tempus diximus singularem illam hebdomadam, in qua prædixit *Daniel* Messiam fœdus confirmaturum, sacrificiumque & oblationem aboliturum initium sumere. Quo autem tricesimi anni tempore baptizatus sit non magnopere disputo. *Epiphanius* & alii pleriq; Authores sunt *Lucæ*

verba ſic intelligenda eſſe, vt Chriſtus in fine triceſimi anni ætatis ſuæ baptizatus ſit: nec aliena videtur *Ioh. Functii* coniectura, qui putat *Ioannem* Feſto Tubarum prædicare & baptizare incępiſſe, prima die menſis ſeptimi Tiſri, & decimo die poſt in Feſto propitiationis Chriſtum baptizatum eſſe. Quanquam de die baptiſmatis nolim contendere: Nam ſiue ea die preciſè, ſiue citius ſiue ſerius, baptiſmum acceperit nihil refert, modo primum Paſcha prædicationis Chriſti ponamus in annum vitæ ipſius triceſimum primum. Sed de anno paſſionis maior eſt controuerſia: Veteres quidam Eccleſiaſtici Scriptores ante Nicenum Concilium, vt *Tertullianus* in libro contra Iudæos, & *Lactantius* lib. 4. diuin. Inſtit. cap. 10. affirmarunt Chriſtum ſupplicio crucis peccata noſtra expiaſſe anno *Tiberii Cæſaris* decimoquinto in conſulatu duorum Geminorum cum ætatis annum ageret triceſimum. Verum eos erroris conuincunt, *Lucas*, qui eo ipſo anno Chriſtum baptizatum teſtatur, & *Ioannes*, à quo diſtinctè notata eſſe quatuor Paſchata poſt Chriſti baptiſmum obſeruare promptum eſt. *Dionyſius* exiguus Abbas Romanus in ſua ſupputatione paſſionem Chriſti confert in annum ætatis ipſius triceſimum tertium, eumque paſſionis annum Eccleſiaſtici Scriptores à tempore Niceni Concilii vſque ad noſtram ætatem obſeruare ſoliti ſunt. Huius ſupputationis cauſa fuit, quod *Dionyſius* ille, & Veteres ferè omnes, tantum tria Paſchata ex Euangeliſta *Ioanne* à baptiſmo Chriſti vſq; ad mortem eius numerant: Ideoque non plus triginta duobus annis cum quadrante eum in terra vitam egiſſe tradiderunt: cum tamen noſtrę ætatis homines quatuor Paſchata ex eodem Euangeliſta monſtrent (nonnulli

nulli etiam, vt *Scaliger* De emend. temporum, lib. 6. & *Gerardus* Mercator in Chronologia in Speculo harmoniæ Euangelicæ, aliud quintum Paſcha ex *Matthæo*, *Marco*, *Luca*, colligunt) eoque Chriſtum in carne vixiſſe annis triginta tribus cum quadrante ſentiant, vt ſic vnius anni errorem intercedere neceſſe ſit. Quatuor vero Paſchata poſt baptiſmum Chriſti vſque ad ipſius crucifixionem ex *Ioanne* ſic oſtenduntur: Primum Paſcha diſertè expreſſum eſt cap. 2. prope erat Paſcha Iudæorum, aſcendit igitur Ieſus Ieroſolymam, & in calce capitis, quum eſſet Ieroſolymis in Paſcha die feſto. Secundum Paſcha cap. 5. Poſthac erat feſtus dies Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Hoc feſtum fuiſſe Paſcha ex verbis Domini capite præcedente conuincitur. *Nonne vos dicitis adhuc quadrimeſtre ſpatium ſupereſt & meſſis aderit?* Certum autem eſt è ſacris literis meſſem in terra Canaan inchoatam eſſe poſt oblationem manipuli, quę fiebat poſtridie Paſchatis circa medium aut finem menſis Iiar, à quo tempore quatuor menſes retro numerando deducimur ad menſem Tebeth, (qui noſtro Decembri reſpondet) in quo Chriſtus cum muliere Samaritana ſermonem habuit ętatis ſuæ triceſimo primo anno ad finem currente: iamdudum expleto, non ſolum primo Paſchate, quod deſcriptum diximus, *Ioh.* 2. ſed etiam tranſactis feſtis Pentecoſtes & Tabernaculorum, quæ inciderunt in hunc 31 annum vitæ Chriſti in terris. Hoc ergo feſtum Paſchale quod *Ioannis* 5. obſcurius deſcribitur omnino ad annum Chriſti 32 referendum eſt. Tertium Paſcha expreſſe ponitur, *Ioan.* 6. Prope autem erat Paſcha feſtum Iudęorum, quod cum anno ætatis ipſius 33 cohęret. Poſtremum Paſcha, in cuius Paraſcone Chriſtus

stus est crucifixus congruit cum anno 34. vitæ Christi. Hoc pacto seruator noster iuxta Euangeliorum fidem annos vitę in terris expleuit triginta tres & menses tres, sumpto initio à principio anni Iuliani quo Christum natum esse creditur, vsque ad Pascha Iudaicum, quo eum interemptum esse constat. His etiam consentanea scribit *Iosephus*, qui prouidentia diuina sic gubernante horum annorum Pontifices ex ordine describit. Ac primo quidem *Annam*, sub quo Baptista prædicare cœpit anno Christi tricesimo, deinde *Ismaelem*, anno 31, postea *Eleazarum* anno 32, prȩterea *Simonem* anno Christi 33. & postremo *Caipham* anno 34, qui capitalem de Christo sententiam pronunciauit. Ex quibus concludimus primum, Christum 34. anno ætatis currente pro peccatis nostris mortem in cruce subiisse Aprilis 23. feria sexta, Luna 15. anno Imperii *Tiberii* 19. præfecturæ *Pontii Pilati*, qui Iudeæ tum præsidebat, anno 7. vrbis conditæ anno 785, anno primo Olympiadis 203 currente, vt rectè obseruauit doctissimus *Scaliger*, qui ex *Bedæ* verbis, quibus monet anno Christi 702 indictione 15. in iudiculo Cerei Paschalis eius anni notatum hoc fuisse, *A Passione Domini nostri Iesu Christi anni sunt* DCLVIII: sic infert, Si 702 annus natalis Christi est 668 eius passionis exactus, manifestum est 34 anno ætatis suæ passim. Concludimus deinde verum tempus natiuitatis Christi anno vno præcedere epochen Dionysianam, quæ passionem Christi annis tantum triginta duobus, & mensibus ferè tribus antecedit, eoque vulgarium annorum á *Dionysio* conditorum supputationem falsum esse & sacræ historiæ repugnare. Non enim attingit annos *Herodis*, sed mortem eius sequitur interuallo ferè mensium nouem. Iam

annos Christi ad sabbaticos examinemus, manifestum est annum natiuitatis ipsius sabbaticum fuisse. Prius enim ex *Iosepho* didicimus annum *Herodis* secundum vsque ad Tisri anni ipsius tertii fuisse sabbaticum. Natus autem est Christus 35 post anno, qui numerus per 7 diuisus nullum relinquit superabundantem annum. Quod etiam patebit si annos 3962 à mundi conditu ad natiuitatem Christi per 7 diuidamus: conficient enim 566 sabbata annorum, siue Iubileos 80 & sex sabbata annorum precisè. Triginta sex annis post passionem Christi cœpit imperare *Flauius Vespasianus*, sub cuius regno Ierosolyma cum templo incensa sunt & euersa, & Iudæorum politia penitus interiit. Nam de temporibus regni ipsius intelligenda sunt illa Christi verba, Matth. 24. *Quum videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est à Daniele Propheta positam in loco sancto. Tunc qui in Iudæa fuerunt, fugiant in montes, qui supra domum non descendat, vt sumat quicquam è domo sua, & qui in agro non reuertatur retro, vt sumat vestimenta sua. Væ autem vterum ferentibus & lactantibus per illos dies. Orate verò ne fiat fuga vestra hyeme, neq; sabbatho: Erit enim tunc oppressio magna, qualis non fuit à principio mundi ad hoc vsq; tempus, neq; erit. Et nisi contracti fuissent dies illi periret omnis caro: sed propter electos contrahentur dies illi.* Itaque circa hoc tempus finem sortiuntur septuaginta *Danielis* hebdomadæ, quas ostendimus inchoandas esse à promulgatione edicti de Ierosolymis reædificandis, 20 anno regni *Artaxerxis Mnemonis*. Euersa tum est funditus à Romanis Imperatoribus *Vespasiano* & *Tito* Iudæorum respublica à primo anno incolatus terræ, quo cœpit populus Israelis terram promissam Duce *Iosua*, hereditario possidere

annis

annis 1540, hoc eſt, 220 annorum ſabbathis completis: quo tempore Chriſtus à rebellibus & contumacibus Iudæis regnum ſuum ad gentes tranſtulit, dum ſimul & ſeuerum ſe iudicem atque vltorem aduerſus hoſtes exhibet, & perſonante vbique per totum terrarum orbem Euangelii tuba, tanquam totius mundi clementiſſimus Princeps Eccleſiam ex omnibus gentibus colligit. Sed de his pauca hęc dixiſſe ſufficiat.

CAP. XIX.

De Temporum periodica per annos Sabbaticos ſupputatione à 71 Chriſti anno ad finem mundi & ſeptem Apocalypſeos Angelorum tubis.

TAmetſi verum ſit Legis Moſaicę ceremonias & typos in Chriſti aduentu ceſſaſſe (vtpote quos ipſe qui venit vt Legem impleret, quoad ſubſtantiam reipſa compleuerit) Interque alia Sabbatorum Iudaicorum & Sabbatariorum annorum, ac Iubilæorum, quod ad externos Legis ritus attinet obſeruationem deſiiſſe: præcipuè quoad debitorum relaxationem, & temporalis libertatis á lege Moſaica conceſſæ promulgationem, quæ nos Chriſtianos non aſtringunt, quia ſpiritualem per Chriſtum libertatem adepti perpetuum Sabbatum celebramus: Nam Sabbata legalia typus erant perpetui illius Sabbati in cœlo celebrandi, in beata

in beata ſcilicet ea vita, in qua labores huius vitæ ceſſabunt, & peccati debitum fidelibus remittetur: Non minus tamen verum eſt Sabbatorum ſignificationis ſubſtantiam perpetuo permanſuram: ita vt etiam verus annorum mundi calculus per annorum Sabbata poſſit haberi & τυπικῶς adumbrari. Cuius ſupputationis ſufficiens teſtimonium ex *Ioannis* Apocalypſi haberi poteſt, in qua veluti continua Sabbaticorum annorum enumeratione à *Danielis* hebdomadibus vbi videlicet illæ deſinunt, *Ioannes* conſequenter temporum ſupputationem per annos Iubilæos perſequitur. Nam Apocalypſeos cap. 8. mentio fit Angelorum quibus ſeptem tubæ datæ ſunt, vt illis clangerent, & declararent ea quæ tempore clangoris harum buccinarum mundo euentura eſſent. Vt nimirum à typico earum buccinarum clangore qui in lege fiebat analogia ducta, ex fine cuiuſlibet Iubilęi mundi ipſius & Eccleſiæ ſtatus haberetur. Nam Iubilęi nomen à tubis ſumptum eſt, & ſatis notum eſt Evangelii prędicationem à buccinarum clangore deſignari ex *Iſaia* cap. 58. figurata itaque locutione ex illis tubarum clangoribus tempora diſtincta colligere, licet in quibus Angeli & Miniſtri Dei ventura mundo & Eccleſię Dei prędicebant. Quarum clangoris initium ſumendum eſt ab eo tempore quo facta eſt apertio ſeptimi ſigilli libri illius clauſi in quo primus Angelus ſe prępararuit vt tuba caneret. Nam per apertionem ſeptem ſigillorum illius libri (vt omnes pii doctores exponunt) reuelatio & declaratio ſecreti conſilii ipſius Dei ſignificata eſt. Quod factum fuit quum dilectum filium ſuum in mundum mitteret, vt primum per ſe, deinde per Apoſtolos ſuos, ſacram ipſius voluntatem anuntiaret. Et vt ſeptem erant ſi-

gilli numero, ita cuiuſuis ſigilli apertio ſeptem annorum numerum comprehendit. Primus autem ſeptenarius annorum primi ſigilli à Chriſti manifeſtatione inchoatur circa annum eius 30. Quod tempus à *Paulo* appellatur plenum tempus, Gal. 4. in quo Euangelium primo cœptum eſt prædicari. A quo tempore per ſeptenarios facta ſupputatione inueniemus ſeptimi ſigilli apertionem in 71 annum poſt Chriſti Natiuitatem incidere, annumque Chriſti ſeptuageſimum á mundo condito ſabbata annorum complere 576 abſque vllis ſuperabundantibus annis. Nam à condito mundo ad ſeptimum annum regiminis *Ioſuæ*, qui fuit primus *geórgias* terræ promiſſæ, ſunt anni ſimplices 2499, hoc eſt, annorum ſabbatha 357. Deinde ab initio anno ſeptimo regiminis *Ioſuæ* ad vltimũ Babylonicæ captiuitatis annum & initium, Monarchiæ *Cyri* Perſarum Regis ſunt anni ſimplices 931 ſiue annorum ſabbatha 133. Tum ab initio Monarchiæ *Cyri* ad Natiuitatem Chriſti 532 anni, ſiue annorum hebdomades 76, quibus additi anni 70, hoc eſt, ſabbatha annorum decem, conficiunt à mundo condito annos ſimplices 4032, hoc eſt, annorum ſabbatha 576. Itaque vt noſtram ſabbatariorum annorum computationem continuemus ex vero calculo annorum retrò à Chriſto & porró ſupputatorum comperimus annum à Chriſto nato 1600 mundi ætatis annum eſſe 5362, qui numerus annorum 794 hebdomadas annorum complectitur, quatuorque ſuperabundantes annos. Habet itidem Iubilæa 113, & 25 annos ſingulares: nam ante Chriſti annum 71 tranſacta erant ab orbis initio Iubilæa 82. & duæ annorum hebdomades, & á 70 ipſius anno ad annum eiuſdem 1600, Iubilæa 31, & anni 11 redundantes.

tes. Quorum 31 Iubilęorum mystica fit enumeratio à D. *Iohanne* in Apocalypsi per septem tubarum, septem Angelorum sibi inuicem ordine succedentium clangorem, ita vt spatium cantus cuiusque tubæ annos contineat, 245, hoc est, quinque Iubilæa quæ Periodum minorem, id est, dimidium magnę *Danielis* 490 annorum Periodi constituunt. Et quo calculo rectè inito reperiemus Christi annum 1600 septimi & vltimi tubæ clangoris annum esse 60. Nam ad septimæ buccinæ complementum à septuagesimo primo Christi anno supputanda Iubilæa erunt 35, hoc est, Sabbata annorum 245, aut anni simplices 1715, qui extendendi sunt ad annum Christi 1785, circa quod tempus mundum finem habiturum probabilis fieri potest coniectura. Nam Angelus apud *Iohannem* Apocal. 10. apertè iurat per eum qui *æternum viuit, qui cælum, terram & mare & quæcunque in eis sunt, creauit, tempus non fore amplius, sed in diebus sonitus septimæ tubæ, cum septimus Angelus cœperit canere, consummandum esse mysterium Dei, sicut annunciauit seruis suis Prophetis.* Hinc nimirum innuens futurum mundi finem & extremum Iudicii diem, quum tuba Euangelii cessabit, & tuba Archangeli, cuius *Paulus* meminit 1. Thess. 4. sonare incipiet, impiis terribilis, sed solamini piis futura. Nam tum non erit amplius tempus: quod non ita intelligendum est quasi non aliquis rerum status post vniuersale illud iudicium mansurum sit, sed quod nullum sit duraturum tale tempus quale nunc est, aut huic simile in quo gaudent in hoc mundo impii, qui speciem illius putant perpetuo permansuram, quo pios possint opprimere: nam tum tempus in æternitatem commutabitur, quę non propriè tempus est, quia nulli alteratio-

ni vel mutationi ſubiicietur, ſed perpetuo in ſe conſtans ſtabilietur. Sed vtut hoc intelligamus id certè manifeſtè teſtatur Angelus in diebus ſonitus ſeptimæ tubę mundo huic finem eſſe imponendum. Iam certum eſt ex hac ſupputatione anno Chriſti 1541 pręterito ſeptimum Angelum tuba cæpiſſe canere, quæ tuba hucuſque auribus noſtris inſonat, admonens nos vt in aduentum Domini parati ſimus. Nam per tubas ætas earumque clangorem typica deſignatione, ex doctorum conſenſu Theologorum, repręſentata eſt illa tubarum reſonantia quę ex Legis Moſaicæ inſtitutione Leuit. 25. fieri ſolita eſt in fine cuiuſque Iſraelitarum Iubilęi. Vnde colligendum eſt diſtincta annorum tempora in Apocalypſi ad Legis imitationem figurari: in quibus Angeli, hoc eſt, Dei miniſtri ipſius decreta & voluntatem de mundi & Eccleſiæ ſtatu patefacerent. Nam Iubilęa à tubis nomen ſumunt, & ante diximus verbi Dei prędicationem per tubarum clangorem deſignari, Iſa. 27, & 58. Et velut apud *Danielem* hebdomades 70, magnam conſtituentes Periodum, decretæ erant à Deo Opt. Max. quibus ſtaret vrbs Hieroſolymorum & Iudęorum reſpublica, quę poſtea ad deſolationem erat deuentura, ita in minori illa Periodo, 245 annorum ſpatium continente, qua vnaquæque ſeptem tubarum ab *Ioanne* deſcriptarum perſonaret, varię mutationes in regno Chriſti & Eccleſię ſtatu vſque ad mundi finem euenturę prędicuntur, deque iis fideles pręmonentur. Quod itidem per ſeptem Phialas, à ſeptem aliis Angelis effuſas in terram & elementa, repręſentatur, nempe de ira Dei, plagiſque & afflictionibus ſuper mundum euenturis, propter inobedientiam hominũ, quibus Euangelium eſſet anunciandum.

Apoc. 15. et 16.

Sed

Sed vt ad tubas redeamus per has præcipuè distinctio periodica temporum adumbratur, septenarium vel sabbaticum respiciens annorum numerum, nec frustra est quod *Ioannes* hunc toties inculcat, & repetit, nimirum nos intentiores & perspicaciores reddere volens, ne tantum mysterium oscitanter prætereamus. Quemadmodum & alibi quum de numero nominis bestiæ loquitur: *Hic*, inquit, *est sapientia, qui habet intellectum supputet numerum bestiæ.* Nimium ergo negligenter plerique commentatores hanc annorum septenariorum designationem prætereunt, quum nihil amplius eo numero significari prætendunt, quam generalem quandam rerum & temporum perfectionem, propterea quod septenarius numerus perfectionis numerus est. Nam si alia Scripturæ sacræ loca quæ hunc numerum præferunt, ita libeat explanare de hebdomadis etiam *Danielis* hoc idem sentire poterunt, deque reliquis septenariis annorum reuolutionibus in veteri instrumento expressis. Quanquam non inficiamur alicubi in Scripturis communi loquendi consuetudine per septenarium numerum, multiplices vices denotari, vt quum Christus ait remittendas fratribus offensas, non solum septies, sed & septuagies septies, & vt est illud, septies in die cadit iustus. Sed non difficile est has Phrases quum occurrerint in sacris Literis exercitate animaduertere. Qua de re plura cap. 2. huius libri, vbi de numero septenario tractauimus, videre licebit. Et apud honoratum & apprimè eruditum amicum nostrum fidelem Christi seruum *Ioannem Naperum*: Cuius exant absolutissima in Apocalypsin ὑπομνήματα. Hoc ergo citra controuersiam tenemus & concludimus, omnia ferè mysteria quæ ab *Ioanne* in Apocalypsi sub

septenario numero proponuntur certa obsignare tempora aut rerum vices, imprimis inchoando ab illo loco vbi per septenarium numerum computantur spatia apertionis septem sigillorum illorum quæ cap. 5. describuntur, designantia Dei mysteria per Christum reuelata: vbi cuiusque sigilli apertio, vnum Sabbaticum annum comprehendit, quorum septem vnum integrum Iubilæum constituunt, non secus ac cuiuslibet septem tubarum sonitus quinque integra Iubilea, hoc est, minorem annorum Periodum. Quod si quis contendat non magis ex *Ioannis* contextu colligi posse minores annorum Periodos per tubarum septem clangores, quam maiores illas magnas Periodos *Danielis* significari quæ sunt 490 annnorum. Respondeo, si ita intelligenda esset *Ioannis* Propheta, necesse esset annorum septem tubarum numerum ad annum Christi vsque 3500 extendi. At probabile non est mundum tam diu duraturum, & vulgato ille *Eliæ* vaticinio de annis mundi sub Christo repugnat. Nam quod quidam *anonumos* Author non ita pridem, in quodam suo Opusculo quod de annorum in Apoc. *Iohan.* computatione inscripsit, commentus est annos in ea Prophetia comprehensos, ad annum à nato Christo 4500, & porrò posse extendi; quod ipse per varias eorundem annorum repetitiones colligit, In eo certè calculo á veritate & recta Prophetiç interpretatione defecisse deprehenditur. Non enim continuam annorum successionem Prophetia prosequitur: sed potius Dei Spir. Prophetiæ illius author, ab initio 12. cap. (vt rectè obseruat *Naperus*, & cum eo alii docti) repetit atque amplificat ea quæ summatim & obscurius in præcedentibus eius libri vaticiniis traduntur. Ideoque in eo 12.

cap.

cap. & deinceps iterum explanat & dilucidat easdem ferè res sub forma belli inter Ecclesiam Christi & Antichristum atque Diabolum gerendi: propterea anni illi 1260 sępius repetuntur: aliquando per se simpliciter aliquando sub nomine 42 mensium, nonnunquam per tempus, tempora & dimidium temporis, vel per tres dies cum dimidio quibus omnibus idem temporis spatium denotatur. Nec obstat quod idem numerus aliquot locis à *Daniele* in sua Prophetia positus inueniatur. Non enim solus *Ioannes*, sed & ipse *Daniel*, & alii Prophetę in suis vaticiniis de extremis temporibus sub regno Christi, & de Antichristo futura prædicunt. Constatque *Ioannem* ex eorum Prophetiis & aliis Scripturæ sacrę libris multa quę ipse etiam clarius euentura prędixit desumpsisse & enarrasse. Agnoscunt & eruditi *Danielem*, qui certissimus est temporum obseruator, peculiariter de Antichristo vaticinatum esse: Et quorsum *Iohannes* ipse supputationem numeri bestiæ illius, quem cap. 13 describit per characteras χξς tam diligenter inculcat sapientibus obseruandam, si nihil certi inuestigandum per hos numeros intelligat? Sed vt ad *anonumon* illum authorem redeam, qui sua veritus est proprii nominis designatione obtrudere: vtcunque sese extricare conetur, non procul ab illis ἐμπαίκταις, de quibus 2. *Pet.* 3. in sua posteriore meminit Epistola, *Qui in extremis diebus venturi erant, dicentes, vbi est promissio aduentus eius: nam quamuis ille ibidem mille annos coram Domino tanquam diem vnum esse concedat*: tamen statim postea, *Dominum non tardaturum aduentum suum prædicit*. Et Dominus ipse in omnem horam nos paratos esse & vigilantes admonet, & propter electos abbreviandos esse dies. Et multoties Apostoli

nobis

nobis inculcant hæc poſtrema eſſe tempora: quod ſi eorum tempore poſtrema, quid nunc poſt mille & ſexcentos annos nobis expectandum eſt, niſi Dominum prope adeſſe in foribus. Adhęc ipſe *Ioannes* Apoc. 1. mox initio ſuę Apocalypſeos ſcribit: *Hæc quæ prædicit oportere cito fieri.* Et iterum: *Beatus* (inquit) *eſt, qui legit, & illi qui audiunt verba Prophetiæ huius, & ſeruant quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim prope eſt.* Iure ergo tempus & ſęculum in quo nunc ſumus ſeneſcentis & decreſcentis mundi ætas appellari poteſt multiplici ratione. Primo, quia omnia quæ ſuo fini appopinquant deficere & ſeneſcere dicuntur. Deinde quia ſigna omnia quæ illum vltimum diem præceſſura à Chriſto & Apoſtolis ipſius prædicta ſunt, iam maxima ex parte euenerunt & ſunt adimpleta, vt ipſa temporum & euentorum hiſtoria ſatis demonſtrat. Quam abſurdum ergo eſt exiſtimare tot annorum millia ad mundi huius corruptibilis finem continuato ſtatu differendum adhuc ſupereſſe. Quin potius credendum eſt mundi & Eccleſię ipſius ſtatum tot viciſſitudinibus obnoxium propter electos ne & ipſi pereant abbreuiandum, inque ſonitu, ſeu ſub finem ſeptimæ tubæ myſterium Dei prout reuelauit ſeruis ſiue Prophetis breui conſummandum eſſe, finemque mundi & Iudicii diem appropinquare, quum Euangelicæ prædicationis tuba ſonare deſinet, & Archangeli tuba ad impiorum terrorem, piorum autem conſolationem altum clangere incipiet. Iam ſi quis cauillator adhuc inſiſtat, omnia hæc à nobis de extremis temporibus dicta incertis & infirmis niti coniecturis, fruatur ille per me licet quantumuis ſibi addicta minuſque probabili opinione. Nos certè analogiam fidei non tranſgredimur, neq; Scripturarum

turarũ ſanctarum authoritate deſtituimur, ne quis temerè noſtro ſenſu nos niti calumunietur. Superest ergo vt hunc de annis Sabbaticis & eorum periodis tractatum abſoluamus, prius tamen de Papiſticorum Iubilæorum ſuperſtitioſis & impiis obſeruationibus, quibus iam diu mundo impoſitũ eſt & illuſum, nonnulla dicamus, ne quid commune cum his myſticis Iubilęis habere videantur.

CAP. XX.

De Papiſticis Iubilæis ad imitationem Iudaicorum confictis, quod nec rectam ſupputationem Sabbaticorum annorum, nec Iubilæorum ſequantur, deque illorum abuſu.

NON ſine graui cauſa in annorum Sabbaticorum ſupputatione hactenus inſtituimus, quum per eas ſecurior via ad veram annalium omnium certitudinem à mundi origine ad hanc ſeneſcentem eius ætatem quam alia quauis annorum enumeratione poſſit deprehendi. Adhæc etiam commodior & facilior eſt vtpote continua periodo in ſe revoluta & certiſſimis nixa fundamẽtis, ex ſacris Scripturis precipuè petitis, hic etiam ſupputandi modus multa ſoluit dubia quibus Scriptores ſeſe involuerunt, qui huius cognitionis defectu temerè annos mundi computant, maximè à captiuitatis Babylonicæ temporibus. Ex hac denique annorum Sabbaticorum & Iubilęorum recta enumeratione, inter alia commoda, etiam vulgatum no-

ſtrorum temporum errorem imò vanitatem & ignorantiam Papiſticorum hominum deprehendere licet, eorumque prępoſteram ſupputationem ex ſimulata legis Moſaicæ imitatione profectam, propter quam etiam cauſam expediens eſt Iubilęorum quæ ex Sabbaticis annis ſurgunt habere ſupputationis cognitionem. Ex illis autem quæ ſuprà ſcripſimus conſtat ſeptem quoſque Sabbaticos annos vnum integrum Iubilęum conſtituere. Quod ſpatio 49. annorum definitur, poſt quos ſeptimo menſe quinquageſimi anni initio Iubila tubarum perſonabant, qui propterea ſacer habendus erat, quia Iubilęum iam finitum teſtabatur, vt latius ex Leuit 25. *cap.* licet colligere. Nam quæ ibi ſcripta ſunt, non ita intelligenda ſunt, quaſi quodlibet Iubilęum annos 50. completos comprehenderet; ſed vt quinquageſimus annus etiam primus eſſet ſequentis Iubilæi. Ita tamen vt primus annus ille Iubilæi ſequentis non vltimus præcedentis ſacer eſſet. Quamuis integrum Iubilæi ſpatium ſolùm 49. plenos annos contineret. Nec aliter ſupputatio per Hebdomadas annorum fieri poſſet, ſed confunderetur: Quod plane contrarium eſſet menti legiſlatoris, tametſi quinquageſimi annus vulgato loquendi more, ratione ſuprà memorata, Iubilæi annus vocaretur. Qua de re latius ſuprà *cap.* 2. egimus. Nunc nothos illos Iubilęorum annos per Papas Romanos inſtitutos obſeruatos conſideremus, in quibus Sabbaticorum annorum, ex quorum recta Supputatione Iubilæa componuntur, nulla habetur ratio. Nam *Bonifacius* octauus huius nominis Papa, eorum pater & inventor, anno Chriſti 1300. completum centum annorum numerum bis 50. annos continentem pro ſuo Iubilęo deſumptſit. Et poſteà

posteà *Clemens* sextus ad quemlibet 50. annum completum quinquagesimum annum completum eadem reduxit. Post quem etiam *Paulus* Papa secundus ad vnumquemque annum 25. & tandem *Iulius* secundus ad decimum sic assiduè numerum annorum minuentes immutarunt, vt superstitionem suam & impiam suorum mercimoniorum nundinationem augerent, vsq; adeo instabilis & mutabilis est illius tyrannicè vsurpati regni status. Hic ergo illorum simulatorum Iubilęorum primus error est, quod tempora à Papistis eorum celebrationi statuta nullatenus conueniunt cum supputatione Iubilæorum in lege Mosaica obseruatorum: Quæ præstigiatores isti in modum simiarum se imitati prętendunt. Et quod ad annum Christi elapsum 1600. attinet, siue per ipsius à natiuitate annos, siue per annos à mundi exordio calculum instituamus, ille annus, nec Sabbaticus, nec Iubilei annus reperietur. Nam numero 1600. per septenarios partito post 228. Hebdomadum annorum diuisionem linquuntur 4. anni superflui, & rursum quotiente per septem diuiso 4. abundantes hebdomadas annorum post 32. Iubilęa inueniemus. Item si integros annorum numeros à mundo condito colligamus, & per septenarios diuidamus, qui sunt 5562. hoc anno Christi 1600. reperiuntur supra 794. annorum hebdomadas 4. anni abundantes & vltra Iubilęa 113. tres superabundantes annorum hebdomadæ, & sic statuta horum Papisticorum Iubilęorum tempora cum Iubilęis legis Mosaicæ nulla ratione conueniunt. Secundus & maior error est, quod sua Iubilæa à falso fundamento,

nempe Christi natiuitate supputanda inchoant, quum potius si aliqua talia Iubilęa post Christi aduentum in carne essent instituenda, ab anno passionis et mortis ipsius redemptoris exordium essent sumptura. Nam Christus pro hominum salute moriens vero completo Iubilęo typicis finem imposuit, plena libertate & remissione à spirituali peccati debito nobis impetrata. Cuius simulachrum per suas confictas indulgentias Romanus Papa se posse prętare contendit. Sed tertius & pessimus omnium error est in ipso harum nundinationum abusu; & Iubilęorum obseruationis substantia, falsoque cui nituntur fundamento, quo verè cognito, nemo Christianus rectè sentiens reperietur, qui non eorum impostura & impietatem detestetur. Primùm ergo horum recens repertorum Iubilęorum cum Iudaicis fiat collatio, annus Iubilęus Iudaicus remissionis annus vocabatur, quia in eo omnia ciuilia remittebantur debita. Terræque quæ vendebantur ad suos veteres proprietarios & possessores redibant. Hæc expresso Dei mandato stabiliuntur. Papistica verò Iubilęa nulla ex verbo Dei apparentem habent approbationem, sed à 300. annis solum elapsis per Papam *Bonifacium*, hominem extremæ arrogantiæ & crudelitatis, erant inventa in superbiæ suæ triumphum, quum papatus ad supremam peruenisset tyrannidem. Hic etiam ille fuit qui sextum librum Decretalium Iuris Canonici promulgauit, & vt in ipsius vita ad eiusdem libri calcem adiecta habetur, per impiam deceptionem & circumventionem viri simplicis *Cælestini* papatum obtinuit. Cuius intentio in prima horum Iubilęorum

institu-

inſtitutione, erat, vt ſub pretextu ſuas indulgentias diſpenſandi, magnam populi multitudinem Romam convocaret: efficeretque vt principes & magnates aliiſque quibus permiſſum erat, ipſam beſtiam adorarent, fœdoſque ipſius pedes deoſcularentur. Nam in hiſtoria habetur eo Iubilęo miras populorum caterua Romam confluxiſſe, quæ ſeſe vſque adeò premerent, vt vix per ipſam vrbem eiuſdemque ruinas (quamuis ampliſſimas) tutò tranſire liceret. Sed vt ad Iubilęorum collationem reuertamur, Iubilęa in populo Iſraelitico ex grauibus cauſis, & pro magno beneficio erant inſtituta. Nam præterquam quod ſpiritualem noſtram libertatem per Chriſtum partam deſignabant, & incitamentum populo erant ad ſua ordinaria Sabbata diligentius ſanctificandum, per eorum etiam inſtitutionem prędia & poſſeſſiones cuiuſque ſuis hęredibus ſalua reſeruabantur, vt licentioſa venditorum prodigorum libertas, & auidorum emptorum cupiditas, reſtringeretur: Quoniam in anno Iubilęo reſtituere quod emerant cogebantur. Papiſtica verò Iubilęa contra ob nullam bonam cauſam ſunt inſtituta, ſed ſuperſtitioſo ritu ad fonendum ſuperbiam, & inſatiabilem Romana aule (non dico Eccleſiæ) auaritiam, vtque homines ſua bona exhauriant & diſſipent, qui vana curioſitate ducti longa itinera fruſtrà ſuſcipiunt, vt Idolum illud Romanum illiuſque Idololatricos ritus conſpiciant. Nam quod ad indulgentiarum obtentum attinet (dato quod alicuius eſſent valoris) in ipſorum Canonibus ſcriptum eſt, illos qui à remotiſſimis partibus (vt ab Anglia, Scotia & Hibernia) Romam veniunt nihil amplius

indulgentiarum obtinere, quam qui Romæ commorantur. Quod reipsa verum est. Et tamen hæc minora mala censeri possunt, si abominabilem abusum in ipsarum indulgentiarum substantia spectemus, eo enim fine instituta sunt, vt credant homines, quemadmodum Iudęorum Iubilęa ad hoc ordinata erant vt debitores à suis creditoribus liberarentur, & qui aliorum serui erant libertatem obtinerent, Ita animæ hominum relaxationem acciperent à peccatis: hanc enim (sed falsò) pollicetur Papa cum plenaria (vt loquuntur) remissione & libertate, vt qui laborē illum susceperint, vt Sodomiticā illam vrbē visitent (quam ipsi limina Apostolorum vocant mundi aut immundi immunitatem consequerentur (si solam externam pœnitentiam prætendāt) à culpa & pœna, aut saltem pœna pro peccatis debita. Nam indulgentias eas quæ in Iubilęo conceduntur, plenissimas vocant, per quas fit absolutio, non solùm à pœna, sed etiam à culpa, saltem veniali: vt illorum verbis vtar, Alii quaslibet indulgentias ad plenarium remissionem non tantum à culpa, sed etiam à pœna, extendunt. Quod quàm sit derogatorium Christi officio, quis non videat? Per fidem enim in eum solum, & veram coram Deo resipiscentiam remissionem peccatorum obtinemus. Et malè admodum cum Christianis actum esset si solùm semel centesimis quibusque annis, vel cum papales indulgentia essent vęnales, homines peccatorum omnium remissionem obtinerent, quum Propheta contrà clamet, *Dixit confitebor aduersum me scelus meum Iehoua, & tu remisisti nexam peccati mei: propterea orabit te omnis pius in tempore opportuno, vel inveni-*

Psal. 32.

inveniendi. Omitto quàm abſurdum ſit hominem peccati, vel ſeruum peccati (vt *Petrus* loquitur) aliorum peccati remittere ſ vel aliis libertatem quam ipſe non habet polliceri. Nam peccatores Deus non audit, ſed ipſe eiuſque gnathones ogganniunt illum Chriſti nomine hæc facere, vtpote ipſius in terris vicarium, cui claues regni cælorum datæ ſunt. Sed illam vicariam poteſtatem ad multas annorum centuurias iam olim quærentes hucuſque reperire non potuerunt, & claues potius Abyſſi illius magnæ ad aperiendum, ſed non claudendum, quam alias (niſi pictas in ſuis inſigniis) habere deprehendentur. Sed parua hęc ſunt. Vlterius enim aſſerunt ipſum in ſuo theſauro repoſitum habere ſanguinem Chriſti & Martyrum ipſius cum meritis Sanctornm, & eorum ſupererogationis operibus, vt ea diſpenſet quibus voluerit. *Nam vna gutta Chriſti ſanguinis* (inquit abominandus ille Canon) *ſufficiens erat ad redimendum totum mundum, reſiduum autem Papæ commiſſum eſt in cuſtodiam, per* Petri *ſucceſſores fidelibus ſalubriter diſpenſandum, tam generaliter, quam ſpecialiter, &c. ad cuius etiam Theſauri cumulum Beatæ Dei genitricis, & omnium electorum merita adminiculum præſtare noſcuntur, de cuius conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, &c.* Quis iſtas feret blaſphemias ſacratiſſimo Chriſti ſanguini & meritis derogantes? Nonne hoc eſt reipſa antichriſtianum Papæ poteſtatem in locum Chriſti tyrannico ſacrilegio ſuccedere? ita vt verè ſedeat in templo Dei tanquam Deus, vt *Paulus* deeo vaticinatus eſt; quicquid contra deblaterat *Bellarminus*, illiuſque ſequaces, qui

C. Vnigenni-tus. Ext. de pœnis & remiſſione.

Ido-

Idolum illud Dagonem ſuum, quantumuis mutilum, in ſuam ſedem, repugnante altiſſimo, reponere nituntur. Cęterum quod quidam Sophiſta aſſentatores Papę prętendunt illas ſolas canonitas pœnas (vt vocant) eſſe per homines inflictas quas Papa ſuis indulgentiis remittit, Canones ipſi contrà teſtantur, eorumque Bullæ (veræ dictæ) quæ generaliter de remiſſione omnium peccatorum & pœnarum loquuntur idque ex plenitudine poteſtatis quam papa preſumptuoſè ſibi arrogat. Quod ſi etiam concederetur huiuſmodi indulta ſolummodò ad canonicas pœnas ab hominibus iniunctas extendi; Quæ malum, hæc abſurditas eſt, illa plenariè & indifferenter omnibus hominibus diſpenſari per eum qui perſonas hominũ quibus conceduntur maxima ex parte nunquam cognouerit, nec fortaſſe viderit, multo minus quantitates aut qualitates offenſionum, earumue differentias & circumſtantias perſpectas habuerit, ita vt modum & rationem earum poſſit eſtimare; quibus tamen omnibus abſque diſcrimine, vtcunque ſe habeant, plenariam falſo promittit remiſſionem. Quod ſi adhuc inſiſtant (vt eorum eſt pertinacia) has papales indulgentias nemini concedi, niſi verè pœnitentibus & confeſſis (per confeſſionem eam intelligentes quæ perfunctorio eorum more in auriculam fit ſacerdotis, aut alicuius Idiotæ ſacrificuli. Pœnitentiã autem tribus partibus definiunt, contritione, confeſſione & ſatisfactione: Sed hæc tria in Iuda proditore verè reperta ſunt. Non enim paruam cordis contritionem de peccato admiſſo habuit, quod & publicè confeſſus eſt. Pecuniam etiam malè partam pro ſatisfactione reſtituit,

reſtituit,& ad cumulum ſatisfactionis in ſupererogationem,ſi quid valeret,ſe ſuſpendit. Nullum apud hos indulgentiarios verbum, de vera converſione hominis ad Deum, vel de fixa ſpe venię impetrandæ ab eo,quæ per ſolam fidem Dei promiſſis firmiter nitentem, obtinetur: idque ſolius Chriſti merito, alioqui pœnitentia nullius eſt valoris, multo minus papalis conficta indulgentia nullius: ad hæc omnia,maior eſt impietas(ſi maior eſſe poteſt)&ſanguinis Chriſti profanatio in his Antichriſtianis indultis, quibus hic homo peccati omnem noxam,& correctionem pro peccatis tollere ſe prædicat, non ſolùm Chriſti nomine & ipſius ſanguinis pretio, qui (teſte *Ioanne*) nos purgat ab omni peccato, ſed etiam nomine & meritis *Petri* ac *Pauli*, ac aliorum Martyrum & Sanctorum. Quo quid magis indignum dici poteſt? Quid magis detrahens ſolius Chriſti ſeruatoris noſtri vnici meritis,gloriæ & efficaciæ? Certè abominandum eſt,cum illius pretioſiſſimo ſanguine, ſanguinem & merita creaturarum & hominum peccatorum commiſceri. Nam iuſtiſſimus quiſque ſepties in die cadit, vt teſtatur Pſaltes. Et quonam pacto ſalutis noſtræ aliquam partem illis aſcribemus, qui nullam ſuorum peccatorum remiſſionem niſi per Chriſti ſolummodò ſanguinem obtinuerunt? Quid quod & hæc ſua meretricia mercimonia etiam mortuis applicant, vnde maximus ad omnes detonſos beſtiæ adoratores illos redit quæſtus,confiſto purgationis igne, in quo mortuorum animæ crucientur, niſi per iſtas papales indulgentias eximantur,pérque alia viuentium(vt loquuntur) ſuffragia. Egregia profectò nundinatio, quæ ad

hos etiam qui poſt mortem pœnitere nequeunt extendatur. Nam pœnitentia, viuentium eſt actio, non mortuorum. *Qui non laudant Dominum, neque omnes qui deſcendunt in infernum, neque enarrant benignitatem & iuſtitiam Dei in terra obliuionis.* At dicant papiſtici palpones, illos ante mortem ſuorum ſcelerum pœnituiſſe. Si ita eſt, aut verè & efficaciter, aut fictè illos pœnituiſſe neceſſe eſt. Si verè, & ex fide in redemptorem Chriſtum præceſſit eorum pœnitentia, proculdubio remiſſa ſunt eorum peccata, & de morte ad vitam (abſque alio intermedio purgationis igne) vt Chriſtus ipſe apud *Ioannem* teſtatur, tranſiuerunt. Sin autem ficta aut Hypocritica, & non vera fuerat horum pœnitentia, tum pro pœnitentia habēda non eſt, & impœnitentes ex hac vita illos deceſſiſſe conuincitur. Sed quid ego vlteriùs in confutandis his aut harum ſimilibus papiſticis impoſturis, in Chriſti crucem contumelioſis, inſi lam? Quæ ſatis notæ ſunt omnibus qui aures habent ad audiendum veram Euangelii vocem. Et de quibus alii plura, vt non ita pridem *AEgidius Humius* aduerſus *Bellarminum*. Et ego ipſe in meo illo tractatu, anno 1599. edito contra Romipetas modernos Iubilęi proximè elapſi aſtipulatores egi. Quin etiam non modò Papæ ipſius Cardinales, qui naſutiores ſunt, ſed & Papales ipſi officiales & ſcribæ, qui has nugas & præſtigias Romæ diuendunt, & ſuum inde lucrū, ex pellibus ouiuis & plumbearum laminarum appendicibus, reportant, earum (vt quæ ad nihil aliud valent niſi vt populo illudant) emptores irrident, illoſque tanquam ſtultos (vt reuera ſunt) ſubſannant, atque ita animarum quęſtum

Pſal. 115. & 88.

faciunt,

faciunt, quem Romam reportant circulatores illi qui indulgentiarum quæstores appellantur. Vt ergo ex his fœcibus me tandem extricem, ad Iubilæa redeo, dicòque nullam his similitudinem cum priscis Iudæorum esse Iubilæis, nec in tempore obseruationis, nec in reipsa. Multòque magis illa à vero Christianorum Iubilæo δις δια παντος abesse, cuius id proprium est vt Iubilæum spirituale perpetuum celebrent, meditatione libertatis illius Christi solius merito & mortis interventu omnibus verè credentibus acquisitę, per quem, in cuiusque regno, omnia ad spiritualem iubilationem reducentur. Nec amplius ceremonialia illius Iubilæa, quæ sub lege externa erant, aut horum similia erunt obseruanda: Sed de mense in mensem (vt inquit *Isaias* Propheta,) *deque Sabbatho in Sabbathum omnis caro veniet*, vt se coram Domino prosternat, hoc est, iugi & assiduo cultu singuli Christianorum dies spirituali Sabbato erunt sacrati. Faxit Deus vt his obseruandis nos iugiter simus intenti. Atque hæc de Sabbaticis annis & Iubilæis, eorumque recta enumeratione dixisse sufficiat. *Isai. 66.*

FINIS.

Typographus Lectori.

Peto à te, candide lector, vt errata, quæ conspectum nostrum in Græcis & Hebraicis præterierunt, clementer emendes, nec Authori, sed operarijs, eique qui præ lo emendando præfuit, ea ascribas. Vale.

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY NEW YORK

Syn. 7. 61. 232
28. 15. 13

DE SABBATICORVM ANNORVM PERIODIS CHRONOLOGICA A MVNDI EXORDIO AD *NOSTRA VSQVE SECVLA ET* PORRO DIGESTIO.

L. 4. 18

Per *Robertum Pontanum*, Caledonium Britannum.

Excusum per GVLIELMVM IONES.
MDCXIX.

lepra, propter temerarium templi ingreſſum, & ſacerdotii inualionem; & priuſquam magiſtratus functione abdicaretur, & *Iotham* filius illius loco regni adminiſtrationi præpoſitus fuiſſet: Illo ſcilicet tempore fuit 27. annus regni *Ieroboami*. Nec hæc loquendi forma rara eſt. Alibi enim ita vſurpatur verbum מלך, vt quum dicitur, 2. *Samuel*. 8. Et regnauit *Dauid* ſuper totum Iſraelem, & erat faciens iudicium & iuſtitiam vniuerſo populo ſuo. Vbi non de initio regni *Danidis*, ſed de tempore quo pacificè regni gubernationem exercebat, fit ſermo. Similiter de *Solomone*, poſtquam ducta *Pharaonis* regis filia in regno iam eſſet ſtabilitus dicitur. Et erat rex *Solomon* rex ſuper totum Iſraelem. Et apertius de *Ioſaphat* & filio *Ioramo* ſimul regnantibus, 2. Reg. 8. cap. Anno quinto *Iorami* filii *Achab* regis Iſrael, & *Ioſaphati* regis Iuda, מלך *Ioram* regnauit filius *Ioſaphat* rex Iuda. Præterea, vbicunque fit collatio annorum regum Iſrael cum regibus Iuda; vt plerunque fit, quum de completis annis intelligitur, non rectè interpretamur aliquem regem Iuda tali anno regis Iſrael cępiſſe regnare, (quamuis communis verſio ſic habet) ſed potius ab anno illo regnaſſe, vt bene obſeruat *Tremellius*. Exempla ſunt 1. Reg. 15. 9. 2. Reg. 13. & 14. 1. & 15. ter aut quater. Atque alibi ſæpe. Occurrunt & alia in libris Regum, & Paralip. quæ lectorem in annorum enumeratione remorari poſſunt, quum annos vtriuſque regni Iuda & Iſraelis contulerit. Sed per annos Regum Iuda ſemper ineundus eſt calculus. Nam eum ex eorum linea & deſcenſus progreſſu ſupputetur *Danidis* & Chriſti genealogia, hinc etiam dependet rectus annorum mundi catalogus. Et quod ad ſcrupulos attinet, qui ex annorum alterius regni enumeratione ſurgere poſſunt,

possunt, si regulas ab *Ioanne Functio* in sua Chronologia traditas obseruemus, satis facilè eximuntur. Quarum prima est: qui plerunque ponuntur, annos vltimos Regum Iuda & Israel non intelligendos vt completos, sed eorum quosdam vix menses aliquot complecti, quosdam verò solum inchoatos. Etiam addere potuisset, plerunque ab annis perfectè completis, aliorum annorum non completorum fieri collationem & dinumerationem. Secunda regula est. Regem patrem bello occupatum extra regni fines proficiscentem, plerunque filium suo loco Regem substituere. Cui affinis est tertia. Quandoque fieri, quum Rex senio confectus, vel morbo correptus, vel alio modo impeditus regno præesse non possit, filium quem velit successorem Regem creet, vel regni habenas ei tradat. Ac tum filius vel successor verè regnare dicitur, & anni quibus sic regnauerit, etiamsi adhuc viuat pater, filii regno ascribantur: sic vt vterque simul regnet. Quarta Regula est, Quod quandoque fiat, vt patre rege mortuo, filio ad regni administrationem præ ætate immaturo, regnum interea per potentes regionis illi, donec adoleuerit, conseruetur incolume: Anni tamen ei cui seruatum est regnum, ascribantur. Quinta Regula habet, nonnunquam vsuvenire, vt regno Israelis à tyrannis diuexato, & à nullo certo Rege administrato, tempus illud in Sacris literis non esse relatum, donec alius consurgat Rex à quo anni Regni sunt supputandi. Qui intermedii anni ex annis Regum Iuda, absque omni detrimento temporis colligi poterunt, quamuis interdum secus accidat, vt anni tam tyrannidis quàm Regni vni ascribantur. Ex his Regulis (vt ille ait) multarum quæstionum penderit solutiones, nec multum à

vero aberrat. Cæterum pro noſtri calculi in hac Periodo exactiore confirmatione *Ezechielis* Prophetæ ca. 4. Memorabilem illam habemus reuelationem, qua verbo Iouæ miſſus eſt ille, vt ſub typo ciuitatis Ieroſolymæ deſcriberet obſidionem, ſimulque vt onus ferret iniquitatum domus Iſraelis & domus Iudæ : pro domo ſcilicet Iſraelis, vt ſuper latus ſiniſtrum incumberet per 390. dies. Ego (inquit) do tibi annos iniquitatis illorum in numero dierum 390. dies quibus feres iniquitatem illorum : Quumque abſolueris eorum partem, lateri tuo dextero ſecundo incumbes, & ferto iniquitatem domus Iuda 40 dies, diem vnumquemq; pro anno do tibi. Dies illi 390 pro annis totidem accepti, (omni controuerſia remota) quibus ferendæ erant iniquitates domus Iſrael, per rectiſſimam expoſitionem à tempore defectionis *Ieroboami* primi Regis decem Tribuum inchoandi ſunt : quum ſcilicet ille peccare fecit Iſraelem magno illo Idololatriæ ſcelere per erectionem Vitulorum aureorum in Dan & Bethel. Et non (vt alii volunt) à 28. Regni *Solomonis* anno. Quamuis enim *Solomon* ipſe cum populi parte in Idololatriam declinauit, vel certè Idololatriam tolerauit, aliquot ante obitum ipſius annis, non tamen inde incipiendam eſſe annorum 390. ab *Ezechiele* expreſſorum enumerationem : ex eo patet, quòd Propheta ibi de iniquitate domus Iſrael, vt à domo Iuda diuiſa erat, particulariter loquatur, vt in altera quadraginta annorum ſupputatione de iniquitate domus Iuda per ſe ſeparatam facit mentionem.

Ideoque ante primum *Ieroboami* annum & decem Tribuum à Domo *Dauidis* ſeparationem non poteſt iniri

iniri horum annorum calculus. Finis autem horum 390 annorum omnium ferè consensu in annum desolationis Ierosolymorum nempe vndecimum *Sedechiæ* annum incidit, quum omnium videlicet tribuum facta est desolatio, & à terra Israelis exterminatio. Et sic anni cum nostro computo exactissimè conueniunt. Nam cum nos ab inchoato Templi opere anno quarto *Solomonis* ad ipsius exidium anno *Sedechiæ* vndecimo numeremus annos 427. Idem consurgit annorum numerus ex *Ezechielis* dinumeratione: Nam si trecentis nonaginta annis addamus 37, fiunt absoluti anni 427. Illorum autem 37 annorum, si 36 *Solomonis* Regno ascribamus, quibus à quarto ipsius anno regnauit, & Regni *Ieroboami* annum vnum adiiciamus, circa cuius finem erexit Idololatriam 427. annos perfectos constituemus. Quod in optimam nostri calculi confirmationem dixisse sufficiat. Et quod ad annos illos quadraginta spectat, quibus à Propheta *Ierem.* cap. 25. per se ferenda erat Iniquitas domus Iuda à decimotertio *Iosiæ* Regis anno putandi veniunt. Quo tempore *Ieremias* Propheta cœpit Iudæis prophetare, & futuras calamitates denunciare. Nam sic etiam ad desolationem terræ Iudæorum reperientur anni quadraginta, octodecim videlicet reliqui *Iosiæ* Regni & *Ioachini* ac *Sedechiæ* anni viginti duo. Hæc ergo annorum Regum Iuda calculum satis confirmant. Sed restat adhuc quæstio de annis Babylonicæ captiuitatis septuaginta à Propheta *Ieremia* designatis, vnde scilicet inchoanda sit horum supputatio. Alii enim ab 11. *Sedechiæ* & terræ Iuda desolatione, alii à captiuitate *Iechoniæ* eos inchoandos esse asserunt. Sed ab anno vltimo *Sedechiæ*, qui &

annus desolationis dicitur incipiendos eos esse ex sacris Scripturis satis probatur, & non ab alio quouis principio. Nam *Ieremias* ipse 25. capite, nomine Dei Israelis sic loquitur: *Ecce ego mittam & sumam pro Nebuchadnezzare Rege Babylonis, vt adducam eum seruum meum contra hanc terram, & habitatores eiusdem, & omnes populos circumvicinos adducendum eos, & vt faciam eos in desolationem, & in sibilum, & perpetuam vastitatem, &c. Et omnis hac terra redigetur in vastitatem, & in desolationem, & requietur: & populus iste seruiet Regi Babylonis. Et post hac completis 70. annis visitabo iniquitatem Regis Babylonis, &c.* En hic post desolationem terræ continuò sequuntur 70. anni captiuitatis. Eandem etiam reipsa sententiam habet idem *Ieremias*, cap. 33. & in fine cap. 34. Similiter *Daniel* 9. cap. suæ Prophetię recolit se intellexisse per libros, numerum annorum de quibus Dominus locutus erat *Ieremiæ* Prophetæ, nempe illum completurum esse septuaginta annos in desolatione Ierusalem. Vnde rursus cernere licet Prophetam *Ieremiam* annos captiuitatis à desolatione Ierosolymæ numerasse, quum & ciuitas, & templum, & terra ipsa omnino redderentur desolata. Addo his locum 2. Paralip. vltimo, quem supra citaui, vbi post narrationem demolitionis murorum Ierusalem, Templi Domini combustionis, & reliqui populi qui gladium *Nebuchadnezzaris* euaserat in Babylonem abductionis, Illa facta fuisse (ait textus) vt impleretur Verbum Domini per os *Ieremiæ*, omnibus diebus desolationis suæ quieuit terra donec complerentur prædicti 70 anni. Huic sententiæ etiam de annis 70 captiuitatis à perfecta desolatione numerandis consentiunt veterum Scriptorum maxima pars. Restat ergo annos 70. capti-

70. captiuitatis ab illa completa totius terræ desolatione numerandos: Nam quod alii ab anno deportationis, vel voluntariæ deditionis *Iechonia* Regis Iuda in potestatem Regis Babylonis, annos captiuitatis 70. annorum numerandos putant, ratione caret. Nec loca ad hoc probandum adducta sufficiunt. Nam ea captiuitate, vel potius deportatio particularis erat, quum ipse *Iechonias* vel *Ieboiachin* (nam vtroque nomine dictus fuit) cum præcipuis populi ad numerum decem millium in Babylonem abduceretur. Non enim ea deportatio, desolatio propriè dici meretur. Post illius enim Regis cum quibusdam aliis abductionem Ierusalem, à Rege *Sedechia*, & suis proceribus ac populo habitata est, & terra ipsa culta; & Iudæorum Respublica certo modo stetit, donec tandem vndecimo *Sedechiæ* anno in extremam redacta est solitudinem. Quod autem in contrarium adducitur ex *Ezechielis* 40. cap. de tempore quo vidit in visione, renouationem Templi & ciuitatis Ierosolymæ, quod asserit fuisse 25. anno eorum captiuitatis. Nam illic reuera de deportatione vel captiuitate *Iechoniæ* intelligit cum quo Propheta ipse abductus erat. Sed vt appareat illum de posteriore generali captiuitate non loqui, immediatè ibi subdit id fuisse in principio anni decimo die mensis decimoquarto anno, postquam ciuitas percussa erat, qui 14 annus à desolatione numerandus erat, & vltimo *Sedechiæ* anno. Per quam temporum distinctionem, sententiam nostram potius confirmat, quàm infirmat, neque repugnat hoc in aliquo literis, vel Epistolæ per *Ieremiam* ipsum scriptæ, illis qui in priore captiuitate fuerant abducti, vbi illorum septuaginta annorum meminit post quos liberandi erant, & in solum patrium

reuer-

reuerſuri. Nulla enim cogit neceſſitas, vt reſtringatur horum annorum initium ad tempus ſcriptionis illius Epiſtolę, ſed ex aliis verbis eiuſdem capitis, & locis aliis eiuſdem Prophetę, quorum illi captiui non erant ignari, afferenda eſt interpretatio. Sunt etiam alii qui de anno in quo finita eſt captiuitas controuerſiam mouent. Inter quos eſt (teſte *Euſebio*) *Clemens Alexandrinus, lib.* 1. *Stromaton.* qui ait, Perſeueraſſe captiuitatem annorum 70. vſque ad ſecundum annum *Darii* filii
Zac. 1. *Hiſtaſpis*, qui Perſis, Aſſyriis & Ægypto imperauit. Moti quidem ſunt illi dicto *Zachariæ* Prophetæ, ſed malè intellecto, qui 2. illius *Darii* anno Prophetę munere fungens, ait in perſona Angeli: Ioua exercituum quouſq; non miſereberis Ieroſolymę & ciuitatum Iuda, quibus iratus es his ſeptuaginta annis? Sed facilis eſt ſolutio. Non enim ibi Propheta quaſi de annis tum primum immediatè (vt dicitur) elapſis loquitur; ſed tempus prius finitę captiuitatis recolens Angelus, pro complemento operis redemptionis populi orat: propterea quod impedita erat Templi ſtructura, vſque ad eum ſecundum *Darii* annum: ſed captiuitatem prius ſub *Cyro* fuiſſe ſolutam, & annos illos 70 completos manifeſtum eſt ex 2. Paralip. vltimo, & *Eſdræ* 1. cap. Vt ergo concludamus hanc ſeptimam Periodum, dico ipſius vltimum annum qui & Babylonicę captiuitatis vltimus eſt, maximè eſſe memorabilem & inſignem. Propter ipſorum ſeptenariorum annorum ſupputationis commoditatem, & incidentes in eo multas annorum & Periodorum temporum concurſiones. Eſt enim is annus a mundi exordio 3430. qui numerus perfectionis eſt. Nam per ſeptenarios diuiſus, in quotiente (vt vocant) numero 490 continet annorum Sabbata.

bata. Et rursus quotiente numero per ſeptem partito ſurgunt exactè Iubilęa ſeptuaginta. Is itaque mundi annus (non abſque myſterio) multas habet in annorum calculo perfectionis notas. Nam & tot hebdomadas annorum continet, quot ſeptuaginta hebdomadę *Danielis* annos. Hoc eſt 490 annorum Periodum. Et rurſum, quot ſunt anni Babylonicę captiuitatis, nempe ſeptuaginta tot etiam ſunt Iubilęa captiuitatem prȩcedentia. Et tot ſunt hebdomades annorum a *Daniele* ad regni Chriſti manifeſtationem prędictæ. Accedit prȩterea myſterium & typus temporalis illius liberationis a Babylonica ſeruitute, quæ teſtantibus paſſim Prophetis, prȩcipuè *Iſaia*, figura eſt plenarię libertatis ſpiritualis per Chriſtum poſt tot temporum curricula obtinendę: & tempore accepto (de quo *Iſaias* & *Paulus* loquuntur) percepta. Eſt etiam hic annus à quarto *Zedechiæ* anno, vnde Sabbaticorum annorum huius Periodi ſupputationis fundamentum ſumpſimus, annus 77. vndecim continens annorum Sabbata, decem captiuitatis, & vnum captiuitatem prȩcedens. Maximè autem memorabilia quæ in hac ſecunda Periodi ſeptimę parte inciderunt, ſunt Regum, non tantum decem Tribuum, ſed etiam Iudæ maiore ex parte à vero & ſincero Dei cultu defectiones. Qui non obſtantibus aſſiduis Prophetarum admonitionibus, & interpretationibus, qui magni nominis fuerant, quos Deus ad eos miſit, inter quos erant *Elias*, *Elizeus*, *Iſaias*, *Ieremias*, multique alii, ſubinde tamen in Idololatriam aliaque ſcelera proni ruebant: donec tandem iuſta Dei ira à patria tellure; quam ipſe maioribus eorum promiſerat, ipſiſque in poſſeſſionem tradiderat, omnino extorres facti iuſtas ſuæ impietatis

pœnas perſoluerunt: Exemplo nobis facti ne nimia Dei freti indulgentia in peccatis perſiſtamus: tandem enim, vt illis euenit, iuſtus ille Iudex, niſi matura pœnitentia conuertamur, ſimilibus ſceleribus & offenſis, iuſtas & ſimiles inferre pœnas non obliuiſcetur. Reſtat hoc modo, vt oſtendamus alios qui aliis ſupputationibus annos huius Periodi numerant à Sabbatariorum annorum ratione deuiare, vt hi qui inter Templi ſtructuram, & vndecimum *Sedechiæ* annum 434. annos ponunt ſeptem, habent ſuperfluos annos: qui 430 ſimiliter tres; qui 432. quinque, qui 440. tredecim, & ſic de reliquis. Quod ſi quæratur annus magnæ Iudæorum Periodi 6916 annorum: qui cum hoc vltimo captiuitatis anno conueniat, conſtat ex recto calculo eum eſſe illius Periodi 3241 annum. Nam & is numerus per ſeptenarios diuiſus poſt 463. annorum Sabbata nullos reſiduos annos relinquit. Eſt etiam hic idem annus magnorum Sabbatorum *Enoch* 700 annorum, quinti Sabbati annus 630.

CAPVT

Cap. XIII.

De Periodo octaua, siue periodica per annos Sabbaticos enumeratione, ab anno mundi 3430. ad annum 3920. Deque Periodi huius Parte prima.

PEriodicorum mundi annorum per Sabbaticam dinumerationem septem modo absoluimus ordines: Sequitur nunc octaua Periodus, quæ ad annum à mundi origine 3920 extenditur, cuius finis natalem Christi annum tantum 42. annis præcedit: Et initium regni *Augusti* Rom. *Cæsaris* attingit, secundum communem annorum ipsius calculum, vel secundum Ægyptiorum rationem solis 16 annis antevertitur. In hoc periodico temporis intervallo incidunt totius Monarchiæ Persarum & Monarchiæ ab *Alexandro* Magno inchoatæ magna ex parte tempora. Initium autem sumit ab anno post excidium Templi Ierosolymorum, & casum *Sedechiæ* regis septuagesimo, qui & vltimus captiuitatis Babylonicæ annus erat: desinitque anno regni Græcorum in Asia ab *Alexandro* Magno supputato 285, vel regni Græcorum à *Seleuco Nicanore* inchoati anno 266. Difficilior autem est huius Periodi calculus; quia eo præsidio magna ex parte destituimur, quod in ante deductis habebamus Periodis. Quarum annos ex authenticis sacris Scripturis licuit inuestigare & eruere. Nunc

autem opus est vt *deutéron* (quod aiunt) *aspasometha ploun*; nempe vt eorum annorum numeros qui ex diuinis literis non satis perspecti reperiuntur per probatas Historias, & alia adminicula suppleamus. In his autem annis certo inuestigandis tria potissimum in quęstione sunt. Primum est de *Cyri* Monarchię primo anno, in quo Iudęos ex Babylonica captiuitate liberauit. Secunda quęstio est de Monarchię Persarum duratione & annis. Tertia de Regibus huius Monarchiæ, & quot annis quisque eorum, regnauerit. Quod ad primam harum dubitationum attinet, hoc non controuertitur; quin *Cyrus* primus Persarum Monarcha Persis & Babyloniis imperauerit. Nam notabilem eius in Historiis sacris Regum & *Ezræ* invenimus fieri mentionem; atque etiam in Prophetia *Esaiæ*, qui multis ante eum natum annis eiusdem nomen expressit: deque ipsius *Cyri* erga Dei cœli cultum, & Iudęos fauorem clara extant testimonia, quod primus statim initio sui imperii libertatem illis in patriam redeundi concesserit publico ad hoc promulgato edicto. Cęterum statimue expletis 70 deportationis annis, an vno aut altero postea anno hoc suum Edictum publicauerit, restat excutiendum. Quantum autem ex sacris Literis coniicere licet, mox post absolutos septuaginta deportationis annos proximo subsequente anno constat hanc *Cyri* promulgatam fuisse libertatis licentiam. Nam expressè in fine vltimi capitis *Paralipomen.* scriptum est: *Anno primo* Cyri *Regis Persarum, vt complerętur Verbum Domini per os* Ieremiæ *loquentis, (nempe de septuaginta captiuitatis annis) suscitauit Iona spiritum* Cyri *Regis Persarum, vt promulgaret per totum Regnum suum, idque etiam scripto, dicendo:* Sic ait Cyrus *Rex Persidis,*

Perfidis, omnia Regna terræ tradidit mihi Iona Deus cæli, & ipse commisit mihi, vt ædificem ei domum Ierosolymis quæ sunt in Iudæa. Quis inter vos de toto populo eius est, sit Iona Deus cum eo, & ascendito. Et *Ezræ* primo capite, eadem verba repetuntur, vbi additur: Et ædificant domum Iouæ Dei Israelis: & mox, Tunc surrexerunt Primores paternarum familiarum Iudæ & Beniamin, Sacerdotumque & Leuitarum, & cuiuscunque excitauit Deus spiritum, vt ascenderent ad ædificandum domum Iouæ qui habitat Ierosolymis. Ex quibus verbis colligimus, statim post absolutos 70. captiuitatis annos *Cyrum* initio Regni sui Iudæis libertatem in patriam redeundi, & Templi Dei ædificandi concessisse.

Nec obstat quod *Danielis* noni Capitis initio scribitur: Anno primo *Darii* filii & *Assueri*, ex semine Medorum, quo factus est Rex in regno Chaldæorum: Anno, inquam, primo Regni eius oblata est *Danieli* Visio de restituendo Iudæorum statu, postquam ipse ieiuniis & orationibus illam reuelationem impetrasset ex assidua meditatione & consideratione per Libros numeri annorum quibus fuerat Verbum Iouæ ad *Ieremiam* Prophetam, completas fore vastitates Ierosolymorum, septuagesimum annum adesse: Non enim hinc colligitur, septuagesimum annum tunc fuisse completum: Sed quia prope erat, Propheta pro Prophetiæ adimpletione precatur. Non quod *Darii* illius Medi annus tunc instans, nec secundus annus (nam duobus tantum annis regnasse perhibetur:) fuerit annus libertationis è captiuitate, sed sequens septuagesimum deportationis, primus annus *Cyri* quo per se solus regnauit mortuo *Dario*.

Qui vt *Daniel* testatur, quum regnare inciperet, erat sexaginta fermè & duos annos natus. Cum *Cyro* autem illum regnasse duobus vltimis vitæ annis certum testantur Chronographi; quum citra eius opem *Darius* ille Medus Babylonicum regnum non obtinuisset. Sed cum socer *Cyro* fuisset *Darius*, cuius vnicam filiam *Cyrus* duxerat vxorem; eius maximè opera acquisitum fuit illud imperium. *Cyrus* tamen vltro administrationem Babylonis (aliis bellis occupatus) socero *Dario* durante eius vita concessit. Vnde constat *Darii* Medi annos, quibus Babyloniis imperauit, primum *Cyri* annum, in quo solus hanc Monarchiam possedit præcessisse. Qui duo *Darii* Medi anni sub duobus vltimis captiuitatis veniunt comprehendendi. Quibus absolutis anno primo *Cyri* solius regnantis concessa est libertas Iudæis in patriam redeundi, qui erat annus mundi 3431, & initium imperii *Cyri* per se super Babylonios. Ab hoc ergo primo *Cyri* anno supputandi sunt anni Persarum Monarchiæ. Quamuis Græci aliter eius annos numerant. Nam omisso *Cyro* & *Cambyse* qui simul cum eo regnauit, ab ipsius *Cambysis* vltimo anno Monarchię Persarum principium deducunt. Velut vt regni Græcorum annos non ab *Alexandro* Magno, sed à *Seleuco Nicanore* incipiunt. Sed quod ad initium Regni *Cyri* attinet, sciendum est illud esse duplex. Primum enim illius regni principium fuit, quum apud Persas primum cœpit regnare: Secundum, quum post *Belteſſarem* interfectum, solus Monarchiam Persarum Babyloniis præesse incipiens obtinuit. Qua in re multos fefellerunt Græcorum Olympiades; Nam quum scriptorum omnium fere consensu dicatur *Cyrus* ineunte Olympiade 55. suum inchoasse Regnum:

Enſe-

Euſebius multique alii hoc de ipſius Monarchię initio intelligunt; quod non niſi multis poſtea annis obtinuit. Nam *Cyrus* (teſte etiam *Cicerone* in libris De diuinatione) 30 annis regnauit, & ad 70 annum peruenisſe dicitur, cum quadraginta annos natus regnum inisſe ſcribatur. Qui triginta anni ad totum tempus Regni illius extendendi ſunt. Sed paucis ex illis vtpote ſex per ſe in Monarchia Babylonica imperauit. Vt ex ſubſequente annorum calculo patebit. Nam ſi altiore indagine primum *Cyri* Monarchię annum inueſtigare libeat ex Aſtronomicis *Claudii Ptolomæi* celebris *Alexandrini* Mathematici obſeruationibus, quæ ab egregio illo artifice ex Aſtrorum motibus collectę ſunt, non modo regni *Cyri* tempora, ſed & totius Perſarum Monarchię continuationem & annos licet deprehendere: atque etiam ab *Alexandro* illo Magno ad Chriſti vſque in carnem aduentum rectum annorum inuenire calculum. Eum ergo authorem in ſupplementum eorum quæ in ſacris Literis non exprimuntur, aſſumere mihi religio non ſit. Nam diuinis humana ancillari par eſt: preſertim quum inter omnes Scriptores (preter ſacras Literas) qui de temporum interſtitiis tractârunt, nullius authoris exactiores ſint obſeruationes, quàm illius, quę ex aſtrorum motibus colliguntur & luminarium eclypſibus: fixi enim ſunt termini diſtantiarum temporum ab eo deſignatorum vt mutari nequeant. Nam non tantùm ex variis Authoribus ea collegit, quę motuum cœleſtium reſtitutioni conueniebant: ſed ex multis etiam Hiſtoriis & Chronographicis ſupputationibus quę lucem & ſplendorem inſignem adferunt. Magnamque ei gratiam (vt inquit *P. Cruſius*) eo nomine debent omnes rei

Chro-

Chronologicæ ſtudioſi. Is igitur *Claudius Ptolomæus* nobis ſequendus eſt. De cuius obſeruationibus annorum & temporum nemo debet dubitare: Is, inquam, omnes ſuos annorum numeros à *Nabonaſſare* deducit, ex cuius calculis, non modò *Cyri* primum annum in Monarchia licet eruere, ſed etiam eadem opera Babylonicæ captiuitatis initium (ad noſtri calculi in præcedente Periodo confirmationem) & totus Monarchiæ Perſarum tempora & durationem, ac etiam reghi Græcorum continuationem inueſtigare & deprehendere. Sed primò omnium diligenter inquirendum eſt, quiſnam fuerit iſte *Nabonaſſar*, à quo *Ptolomæus* ſuas deducit motuum & temporum obſeruationes. Nam eo ignorato fruſtra ſunt omnes quæ ab illius regni initio ſumuntur poſteriorum temporum deſignationes: & pauci Veterum (quorum extant ſcripta) ſunt, qui de illo eius nomine faciunt mentionem. Verum noſtronum temporum Chronographici fermè omnes atque etiam Aſtronomi conſentiunt, quòd ille idem fuerit, qui in ſacris Literis *Salmanaſſar* dicitur; Rex ille Aſſyriorum, qui decem Tribus Iſraelis, deſtructo Samariæ regno, in ſeruitutem redegit. Qui rebus à ſe præclarè geſtis obtinuit, vt illius æra in loco maximè illuſtri poneretur. Quorum ſententiæ & ego aſtipulor. Nam non tantum ex nominis affinitatis id licet coniicere, ſed etiam ex annorum numeris in ſacris Scripturis expreſſis qui *Salmanaſſaris* actis attribuuntur, quæ optimè *Nabonaſſari* cõueniunt, id certò poſſumus aſtruere. Nec *Ioſepho Scaligero* in hoc credendum eſt, qui quibuſdam non ſolidis coniecturis ex aliorum nominum Etymologiis ductis, *Nabonaſſarem* eum eſſe putat, qui in ſacra Hiſtoria *Baladan*, pater *Merodach Baladan* Regis

gis Babylonis appellatur. Cuius argumentis refellendis, propter hominis reuerentiam, cui multum tribuo, nunc insistere non intendo. Sed calculis esse ponderis legentibus facilè apparere potest: nec tempora conueniunt, quæ à *Nabonassare* supputantur cum aliis quàm *Salmanassaris* annis. Et de *Baladane* illo qui Regis Babylonis *Merodachi* pater (qui *Merodach* temporibus vltimis Regis Iuda *Ezechiæ* floruit, & à *Ptolomæo Mardocempadus* appellatur) nihil (inquam) de insigne *Baladane* illo memoriæ proditum est, vt ab eo celebris illa annorum æra initium duceret. Illo ergo relicto *Nabonassarem Ptolomæi* verè *Salmanassarem* fuisse certò statuamus. Ab eo ergo annos porro cum *Ptolomæo* numerantes duo aut tria deprehendimus iudicia de tempore tam Babylonicæ captiuitatis, quàm initii Monarchiæ *Cyri* inuestigando, per annos scilicet *Nabopollassaris* & *Cambysis*, atque etiam *Alexandri* Magni in Græcorum Monarchia. Ponit enim *Ptol.* à *Nabonassaris* Regni initio ad *Nabopollasaris* regni quintum, annos interceſſisse 127. Hunc verò *Nabopollasarem*, *Ptolomæo* dictum, *Berosus Chaldæus* Historiographus (citante *Iosepho*) *Nabuchodonosorem* vocat: Quem constat ex scriptorum consensu, & annorum calculo *Nebuchadnezarem* Regem Babylonis fuisse, & patrem magni illius *Nebuchadnezaris*, cuius apud *Danielem* celebris fit mentio: Qui filius anno regni sui decimonono, Iudæos captiuos destructa eorum vrbe regali, & Templo abduxit, anno mundi 3360 vt ex præcedentis Periodi constat calculo; qui fuit *Sedechiæ* Regis vndecimus & vltimus annus, primusque Babylonicæ captiuitatis: fuit ergo primus annus huius *Nebuchadnezaris* mundi annus 3341. Cuius anni apud Prophetam *Ieremiam*

expressa fit mentio, qui cap. 25. scribit, sea 13 anno *Iosiæ* Regis Iuda, per 23. annos Verbum Domini continentur locutum esse, verbum Iudæos audire noluisse. Is autem 23. annus (vt ibi dicitur) fuit quartus regni *Ioachimi* Regis Iuda filii *Iosiæ*, & primus *Nebuchadnezaris* Regis Babyloniæ, à cuius *Ioachimi* quarto anno (qui vndecim annis regnauit) sunt ad vndecimum *Sedechiæ* nouemdecim. Iam vt quintum annum *Nabopollassaris* patris istius magni *Nebuchadnezaris* venemur, de quo *Ptolomæus* libro τῶν μεγάλων συντάξεων 5. cap. 14. meminit, Illum fuisse mundi annum 3346. sic probatur. *Berosus* (testante *Iosepho* lib. 1. contra *Appionem*) scribit: Quum pater *Nebuchadnezar* (*Ptolomæo Nabopollassar*, & huic *Beroso Nabullassar*) diutius ferre labores non posset, exercitum cum Imperio filio ætate valenti tradidit, qui expeditione mota, Satrapas & populos deficientes ad imperium reuocauit: Vnde constat patrem cum filio regnum communicasse, & filium fuisse qui Iudæos rebellantes vicit, & duxit captiuos. Quod factum fuit filii huius anno regni cum patre 19. vt dictum est, qui erat annus patris 29. vt idem *Berosus* agnoscit, qui *Nabullassari* huic patri tribuit annos 29. quum nouem tantum per se solus regnauerit: sequentibus autem exinde annis cum filio, cuius vltimus annus ex hoc calculo, filii fuit decimus nonus, quo anno Ierusalem capta est. Quintus ergo annus *Nabopollassaris*, qui est à *Nabonassare* 127. erat mundi annus ex *Ptolomæi* calculo collectus 3346. & ex consequenti retro supputando regni *Nabonassaris* initium 3219 annus. Nunc sumantur ex *Ptolomæi* obseruationibus iam dicti 127 anni à *Nabonassare* ad quintum *Nabopollassaris*, & à quinto eiusdem ad annum Iudæorum captiuitatis & desolationis primum,

mum, viginti tres anni, qui iuncti 70 captiuitatis annis reddunt annos 220, quo ducenteſimo vigeſimo anno finito cœpit *Cyrus* ſolus in Babylonico Perſarum imperio regnare: quo etiam anno libertatem Iudæis in patrias ſedes remeandi conceſſit. Qui erat annus mundi 3431, & huius octauę Periodi primus. Iam pro ſuperiorum confirmatione reſtat, vt oſtendamus ex ſacris Literis & annorum Regum Iuda ſerie *Salmanaſſarem* Aſſyrię Regem eundem eſſe cum eo quem *Ptolomæus Nabonaſſarem* vocat. Idque retro à quinto *Nabopollaſſaris* anno (qui & *Nebuchadnezar* ſenior) ſupputando, annos 127 ad primum *Nabonaſſaris* annum, hoc modo. Conſtat ex ſuperioribus calculis annum quartum *Ioachimi* Regis Iuda fuiſſe nonum *Nabopollaſſaris* Regis Babyloniæ: ablatis ergo quatuor annis illis à *Ioachimi* regno peruenitur ad vltimum patris ipſius *Ioſiæ* Regis annum, qui idem eſt cum quinto *Nabopollaſſaris* anno. Ab hoc ergo anno retro numerando dantur *Ioſiæ* regno ex Regum hiſtoria anni 31, *Amoni* eius patri duo, *Manaſſi* 55. *Ezechiæ* 29: Hi anni vnà iuncti efficiunt 117 annos, incluſis ſcilicet trigeſimoprimo *Ioſiæ*, & quinto *Nabopollaſſaris* anno. Iam ſuperant ex 127 inter quintum *Nabopollaſſaris* & initium *Nabonaſſaris* anni decem. Qui dandi ſunt regno *Salmanaſſaris*, quibus ille ante *Ezechiam* regnauit, qui ex Regum Iudę Hiſtoria ſic poſſunt colligi. *Achas* pater *Ezechiæ* regnauit annis ſedecim, cuius regni duodecimo anno, vt ſcribitur 2. Regum 17 capite: Aſcendit *Salmanaſſar* Rex Aſſyrię in Samariam contra *Hoſeam* Regem Iſraelis, eoque capto & in vincula coniecto, obſedit Samariam tribus annis. Cauſa autem aſcenſus *Salmanaſſaris* eodem capite deſcribitur fuiſſe ob non

tum canonem seu tributum quod ex pacto debebat *Hoseas*, & ad aliquot antea annos persoluerat; nempe circiter sex annos, vt rectè colligit *Tremellius*. Iungantur ergo hi sex anni cum quatuor vltimis regni *Achasi* efficiunt decem illos annos regni *Salmanassaris*, qui ex numero 127 annorum à quinto *Nabopollassaris* deerant, peruenituruque directo calculo ad regni *Salmanassaris* initium. Vnde constat illum ipsum, nullumque alium verè esse *Nabonassarem Ptolomæi*. Quin & *Megasthenes* ille *Amianus* (quem *Ioannes Annius* corruptè *Metasthenem* vocat) regno *Salmanassaris* septemdecim annos tribuit. Quod (quamuis alia in illius fragmento reperiantur erronea) cum nostro calculo exactè conuenit. Sunt enim totidem *Salmanassaris* anni si à sexto *Achasi* ad septimum regni *Ezechiæ* supputentur. Nam anno præcedente, qui erat sextus *Ezechiæ*, captus est Samaria à *Salmanassare*, post cuius expugnationem eum non diu supervixisse probabile est. Anno enim decimoquarto *Ezechiæ*, *Senacherib Salmanassaris* successor, obsedit ipsum *Ezechiam* Ierosolymis.

CAPVT

Cap. XIV.

De secunda Parte octauæ Sabbaticorum annorum Periodi, quæ est de Monarchia Persarum annis & Regibus ab anno mundi 3430 ad eiusdem 3634 procedens.

HIS ita sufficienter quæ ad primum Monarchię *Cyri* inueniendum annum pertinent discussis, ad secundum & tertium huius *Epoches* articulum deueniamus, hoc est, de Monarchię Persarum durationis tempore & annus. Deinde de Regibus huius Monarchiæ, & quot quisque eorum regnauerit annis. In quorum annorum & Regum inuestigatione magni & eruditi nostri sæculi Scriptores multum desudârunt. Vt ergo de annis huius Persarum Monarchiæ priore loco dicamus, memoria tenendum est, quòd supra diximus, duplex esse horum annorum supputationis initium. Nam si *Græcorum* more procedamus, Non à *Cyro*, nec à *Cambyse* eius filio, qui simul cum eo ferè regnauit, sed à subsequentibus in ea Monarchia Regibus faciendum est numerandi principium. Sin autem ab ipso primo *Cyri* anno qui primus post *Darium* Medum in Persarum apud Babylonios Monarchia regnauit, addendi sunt duodecim anni ad Græcorum huius Monarchiæ calculum. Si ergo Græcorum sequimur calculum, à *Dario Hystaspis* filio inchoandum est, qui primus

mus post *Cambysen* Persarum regnum obtinuit, à cuius initio ad centesimum decimumquartum, annos huius Monarchię supputat antiquus Scriptor probatæque fidei *Iulius Africanus* apud *Eusebium* citatus, post quem centesimum decimumquartum annum eiusdem Authoris sententia (quem & ipse sequor & approbo) succedunt *Danielis* 70 Hebdomadæ annorum, de quibus postea fusius disseritur à vigesimo *Artaxerxis* memoris anno ducentes initium: a quo porro anno supputantur Persarum Monarchiæ anni septuaginta octo. Sic vt totum tempus illius durationis ex Grecorum calculo sit annorum 192. Vel iuxta Hebreos Scriptores 191 annorum. Nam annus ex Grecorum computo superabundans ad septimum *Cambysis* annum referendus est: Idque proximè accedit ad *Dionysii Halicarnassai* calculum, qui scribit, Monarchię Persarum tempora intra ducentos annos contineri. Sed si integrum tempus huius Monarchiæ ab ineunte *Cyri* in ea primo anno numeremus, annorum ducentorum & quatuor spatium continere reperietur. Cęterum, pro horum annorum computi confirmatione, qui ab aliquibus plures, ab aliis pauciores numerantur: nemo melior arbiter interveniet quàm *Ptolomæus* ille Alexandrinus Astronomus, de cuius ex astrorum motibus collectis obseruationibus nemo debet dubitare. Is igitur tutò sequendus est: Qui à *Nabonassare* ad septimum annum *Cambysis* annos ponit 225. magnę illius constructionis (quam *Almagestum* vulgò vocant) libro quinto cap. 14. Diximus autem supra annum primum *Nabonassaris* ex *Ptolomæi* calculo reperiri mundi annum 3219 fuisse. Compositis inter se 3218 mundi annis, & 225 ad septimum *Cambysis* annum inuenientur anni mundi 3442.

Et

Et ſeptimus ipſius *Cambyſis* annus fuit ter mileſimus quadringenteſimus tertius. Finis autem ſeptimæ Periodi (vt ſupra oſtendimus) erat mundi 3430 annis, á quo ad ſeptimum *Cambyſis* ex hoc calculo ſunt anni pręciſi duodecim, qui computum Monarchię Perſarum pręcedunt ſecundum Græcorum ſupputationem. Additis ergo his 12 annis ad 192 Gręcorum fiunt in totum, vt iam diximus, 204 Monarchiæ huius anni. Annorum autem 192 Monarchiæ Perſarum calculum ex *Ptolomæo* ſic licet deprehendere. Obſeruat ille Author, inter initium *Nabonaſſaris*, & mortem *Alexandri* magni annos fuiſſe Ægyptios 424, lib. 3. cap. 7. Cui ſupputationi conſentit & calculus Prutenicus *Eraſmi Renoldi*, & ęræ ſeu *epochai* eius certiſſimæ: Quæ ita ſe habent, a *Nabonaſſare* ad initium annorum obitus *Alexandri* anni 423, dies 260. Ex his ergo *Ptolomæi* obſeruationibus conſtat, ſi auferantur a *Nabonaſſare* 225, & ab *Alexandro* pro tempore ipſius in Aſiam imperii anni ſeptem, remanebunt a ſeptimo *Cambyſis* incluſo ad *Alexandri* Monarchiæ initium 192 anni, quod noſtro conuenit calculo, vel (quod in idem recidit) numerantur ab Eclipſi liniæ in ſeptimo anno *Cambyſis*, ab ea quæ contigit vndecim diebus ante Monarchiam *Alexandri* itidem 192 anni. Nunc vt ad particularem annorum & Regum huius Perſicæ Monarchiæ catalogum deueniamus. Primi duodecimi de quibus ſupra locuti ſumus anni, ad *Cyri* & *Cambyſis* Perſas Imperium pertinent. De *Cambyſe* verò non dubitatur, quin omnium Scriptorum conſenſu *Cyri* filius fuerit. Atque etiam ex probatiſſimorum Chronicorum teſtimonio probatur, *Cambyſen* cum patre *Cyro* ad ſex ſaltem annos ſimul imperio præfuiſſe. Nam ex Perſarum veteri inſtituto

inſtituto (vt ſupra de his & aliis nationibus tetigimus) ſeruatum fuit, vt ſi pater Rex in expeditionem aliquam contra exteras Gentes proficiſceretur, filius interea domi regnaret. *Cyrus* ergo contra Scythas arma mouens filium *Cambyſen* regiæ præfecit adminiſtrationi in Perſide, quæ per annos ſex continuata eſt. Deinde mortuo *Cyro* *Cambyſes* ſeptimo illius anno ſolus regnauit, parumque poſtea nempe non vltra quinque menſes ſuperſtes fuiſſe perhibetur. Ergo ex duodecim prioribus antedictis Monarchiæ Perſarum annis ſex tribuendi ſunt *Cyro*, quibus per ſe ſolus regnauit, & alii ſex coniuncto ipſius cum *Cambyſe* imperio. His ita ſe habentibus, procedamus ad Græcorum Perſicæ Monarchiæ 192 annos, quorum initium habendum eſt ſeptimus ille *Cambyſis* annus, quo poſt patrem regnauit: qui annus iunctis quinq; menſibus regni illius, & ſeptem menſibus ſequentibus, quibus Magi regnârunt per vim, duos annos conſtituunt, qui numerandi veniunt inter 36 annos quibus *Darius Hiſtaſpis* filius regnaſſe dicitur. Nam ab eo Græci incipiunt Perſarum Monarchiæ annos. Ex quibus *Iulius Africanus* ponit ad vigeſimum *Artaxerxis* memoris annum (vnde inchoantur *Danielis* Hebdomadæ) centum & quatuordecim annos: Qui componuntur ex illis 36. qui *Dario Hiſtaſpis* attribuuntur, & ex quadraginta *Dario Longimano* aſſignatis, & 19 *Darii Nothi*, ac 19 primus ipſius *Artaxerxis* memoris annis, poſt quos 114 annos ſupputantur ad initium *Alexandri Magni* Monarchiæ anni ſeptuaginta octo. Sic vt totum tempus durationis Perſarum Monarchiæ ſit ex Græcorum calculo à ſeptimo *Cambyſis* (qui primo *Darii Hiſtaſpis* annumeratur) annorum centum nonaginta & duorum (vt ſupra probauimus

batuimus) & ab initio *Cyri* Imperii annorum ducentorum & quatuor. Reges autem huius Monarchiæ, præter *Cyrum* & *Cambyſen*, per quos nunc nos numeramus, fuerunt ſeptem. Primus videlicet *Darius* ille *Hiſtaſpis* fratris *Cyri* filius, qui (teſte *Herodoto* & aliis) 36. regnauit annis. Deinde *Darius* ille qui (à longitudine manuum, vel quia dextra ſiniſtra longior erat) *Macrocheir* Græcis cognominatus eſt, 40. annis (vt hiſtorici teſtantur) regnum tenuit. Poſt hunc *Darius Nothus* illius filius annis 19 & ex illius *Artaxerxis*, qui ob inſignem memoriam dictus eſt *Mnemôn*, additis 19 (vt ſupra) fiunt 114. Et poſt inchoatas *Danielis* Hebdomadas ſuperſunt ex *Artaxerxis* Memoris annis 43, poſt hunc, 26 annis præfuit *Ochus Artaxerxes*, & poſt hunc *Arſes* quem tantùm tribus annis regnum tenuiſſe traditur. Et *Darius* vltimus ab *Alexandro* deuictus ſex annis, quorum poſteriorum nomina & annos numero citaſſe ſufficiat. Nam illorum iterum fuſior fiet mentio. Sed hîc occurrit quæſtio: Cur in hoc Catalogo omittuntur *Cambyſes* & *Xerxes* cum eorum annis. Nam & ipſi inter Perſicos reges a Græcis numerantur, & *Cambyſi* quidem attribuuntur anni à pleriſque octo *Xerxi* verò plures, nempe 20 anni. Sed pro huius nodi ſolutione memoriæ tenendum eſt, quod ſupra diximus de Perſarum veteri inſtituto, de quo (præter alios) *Herodotus* libro ſeptimo qui *Polymnia* inſcribitur, propè principium meminit: De ſucceſſore creando antequam Rex aliquis in externam expeditionem proficiſceretur. Et de *Cambyſe* iam diximus quomodo ſex annis cum patre *Cyro* imperauerit, ita vt eius anni cum patris *Cyri* annis confunderentur, vt de eo inter alios *Ioannes Carion* rectè teſtatur in ſuis Chronicis. Qui

ſcilicet *Cambyſes* non diu poſt patrem ſuperſtes nullum hęredem regni reliquit. Eſtque hoc modo ſemel totus extinctus: de *Xerxe* autem, qui etiam in hoc Perſicorum Regum catalogo omittitur, ſic habendum eſt, hunc etiam non aliam ob cauſam prætéritum, quàm eam quæ iam recitata eſt. Nempe (vt idem *Carion* & *Philipp. Melanchthon* indicant) quod profecto in Græciam *Xerxe* Longimanus: *Artaxerxes* eius filius interea regnum adminiſtrauit in Oriente, & tradunt quidam Scriptores per annos nouem hunc *Artaxerxem* cum *Xerxe* patre regnaſſe. Nam ad 40 annos (vt diximus) regnum extendebat. Reliqui autem anni ipſius *Xerxis* propterea in calculum regum Perſiæ non veniunt, quia cum patre ipſius *Dario Hiſtaſpis* etiam regum nomen ad certos annos (vt probabile eſt) obtinuit. Hiſtorici etiam tradunt *Xerxem* non multò poſt reditum à Græcia (vbi infeliciter dimicauit) tempore ſupervixiſſe: Interfectum enim fuiſſe ab *Artabano*, qui plurimum apud eum (vt refert *Cteſias*) authoritate valebat. Narrat etiam *Herodotus, in Polymnia*: Magnam fuiſſe inter *Darii* liberos contentionem de principatu, nempe *Artabazanem* & *Xerxem* qui de eadem matre non erant. Sed repulſo ſeniore *Artabazane*, *Xerxem* ex ſecunda vxore *Atoſſa* (iuſſu patris) regnaſſe, vt regnum apud *Cyri* poſteros ex *Atoſſa Cyri* filii remaneret. Cæterum de *Xerxis* nomine, Hebręi Scriptores non meminerunt, quia nulla illius in ſacris Literis fit mentio: niſi quòd in genere ſuppreſſo nomine apud *Danielem*, cap. 11. de eo fit relatio ſub deſignatione quarti Perſarum regis, qui poſt tres ſurrecturus eſſet, & ſupra omnes ditandus, & omnes contra regnum Græciæ excitaret. Ille autem quartus non obſcuris indiciis

Xerxes

Xerxes eſt, de cuius famigerata contra Græcos expeditione multa à multis extant ſcripta. Sed de *Xerxe* iſto apud Græcos notiſſimo nulla ab Hebræis fit mentio, qui Babylone regnantium Principum duntaxat notitiam tenebant. Nec etiam de *Cambyſis* nomine in ſacris Scripturis aliqua fit recordatio: ſed in *Ezræ* 4. cap. eum ſub *Artaſſaſtis* vel *Artaxerxis* nomine ſignificari, certis conſtare poteſt indiciis. Nam quum ibi dicatur, In diebus *Artaxaſte* ſcripſiſſe illi aduerſarios Iudæorum, vt opus extruendi Templi impediret, de *Cambyſe* hoc tum Perſarum Rege intelligendum eſt. Nam & hunc hoſtem fuiſſe populi Dei ex *Daniele* cap. 10. liquidò apparet: Cui Angelus reuelat Principem regni Perſici ei obſtitiſſe vno & viginti diebus, quod de alio quàm *Cambyſe* eiuſque conſiliariis intelligi non poteſt: Nempe nemo præter illum abſente *Cyro* tum Perſis imperauit. De *Aſſuero* etiam ibi ſcribitur, quod in eandem ſententiam ad illum Iudæorum hoſtes literas miſerint, cuius toto regni tempore opus Templi etiam fuit impeditum. Qui *Aſſuerus* in Sacris dictus, ille eſt qui à Græcis *Darius Hiſtaſpis* filius dicitur. *Hiſtaſpes* autem frater germanus *Cyri* fuit. Non enim *Aſſuerus* iſte, de quo *Ezra* meminit, *Darii* illius Medi (qui cum *Cyro* biennio regnauit) filius erat: vt perperam aſſerit *Metaſthenes* ille *Annianus*. Nam vt ex *Xenophonte* colligimus, *Darius* Medus, nullum filium legitimum habuit, ſed filiam vnicam, quam *Cyro* in matrimonium dedit. Quæ ergo de *Aſſuero* illo Priſco memorantur de *Dario Hiſtaſpis* filio intelligenda ſunt. Qui (vt *Ptolomæus* refert, lib. 1. cap. 10.) *Cambyſi* ſucceſſit. Nam is à *Nabonaſſare* ad eius 31 annum, numerat annos Ægyptios 256 dies 122. Et à ſecundo *Mar-*